HIERONYMI BAL-BI EPISCOPI GURCENSIS,

DE CORONATIONE

LIBER SINGULARIS,

AD CAROLUM V. IMP.

IN QUO DE ROMANI IMPERII ORIGINE, PROGRESSU, MUTATIONIBUS; tum dignitate & præcellentiâ: deniq; quàm necessaria sit electo Imperatori coronatio Pontificia apud urbem Romam, eleganter disseritur.

HEIDELBERGÆ,

Typis ADRIANI WYNGAERDEN, Academiæ Typographi, Anno M.DC. LXIV.

DE HOC AUCTORE ITA SIMLERUS IN BIBLIOTHECA.

HIERONYMUS BALBUS Episcopus Gurcensis, scripsit inter cætera volumen, cui titulum imposuit, *Rhetoris gloriosi*. Item librum ad Carolum V. Imp. *de Coronatione*, impressum Lugduni apud Gryphium. 1530. Ejusdem Epigrammata. *De rebus Turcicis, ad* Clementem VI. *De civili & bellicâ fortitudine*, & alia quædam, impressa sunt Romæ. Claruit anno MDXX. Hæc ille. Extat tamen præterea ejusdem alius liber, *De futuris Caroli V. Cæs. successibus vaticinium*. Quem & ipsum hic subjungendum curavimus.

HIERONYMI BALBI EPISCOPI GURCENSIS, AD CAROLUM V. IMPERATOrem semper Aug. in librum de Coronatione,

PRÆFATIO.

OMNIUM, qui vel in civili negotio, vel in veri perspicientiâ versantur, una est stabilis, fixaq; sententia, Nihil magno, & excellenti principi neque charius, neque antiquius esse debere, quàm rerum à se gestarum, & suæ virtutis gloriam in omnem memoriam propagare. Quid enim est magis Principis, quàm omni studio sequi amplexariq; virutem? At laus nihil aliud est, quàm ea significatio, per quam amplitudo magnitudoq; virtutis declaretur. Nec satis perfectus, omnive numero sapiens ille est habendus: qui, licet præclaris actionibus delectetur, sinit tam eas in obscuro delitescere, & tanquam talentum (quod Evangelicâ lege prohibetur) in terram defodit. Nam si mens Principis quicquid agit, meditatúrve, debet ad divinæ mentis speciem referre (quam Plato Ideam vocat) & illa velle, & cupere, quæ divinarum rerum præ se ferunt imaginem, Qui gloriam illam divinam concupiscit, nec hanc quidem humanam contemnere debet: quæ rerum præclarè gestarum est vel præmium, vel testimonium. Quod si ulli unquam ex omnibus mortalibus, tibi uni maximè ea laus debetur, quam nulla simulatio effingat: sed sincerus animus exprimat, veritas suggerat, pietas effundat. In quo adhuc juvene (mirum dictu) ejusmodi Imperatoriæ virtutes elucent, quas vix longo confecti senio, Nervæ, Trajani, Antonini, & cæteri, quos vetus memoria commendat, nancisci potuerunt. Quid

Animum heroicum quid deceat præcipuè.

Laus quid.

Caroli V. laus

tuam referam magnanimitatem? quid invictum animi robur? quid tolerantiam? quid constantiam? quid rursus politicas illas virtutes, sine quibus nullus unquam clarus Imperator evasit, justitiam, prudentiam, mansuetudinem, clementiam, temperantiam, abstinentiam voluptatum omnium? Tu unus ostendisti in præcoci virtutum cursu ætatem non esse expectandam: qui (ut frequenti sermone usurpare soleo) virtute prius ad Imperium, quàm annis maturuisti. Cùm à primâ usque adolescentiâ rebus in maximis fortiter, innocenterq; versatus, nihil unquam degenerans, fœdum, turpéve commiseris: nihilq; quod nõ omni ex parte sit honestum, pulchrum, admirabile aut, agis aut cogitas. Quòd verò gesseris bella maxima, maximéq; periculosa: quòd exiguâ manu ingẽtes sæpè copias fuderis, quòd de superatis & domitis hostibus, egregios triumphos reportâris, hæc tibi cum quibusdam communia sunt. Tàm frequens autem Dei cultus, tàm inconcussa religio, tanta in subditos clementia, in familiares benignitas, in afflictos misericordia, justitia in omnes, nescio an ulli unquam antiquorum contigerint. Adde illam, qua imprimis excellis, innatam, peculiaremq; prudentiam, qua duce & auriga & agere, & obire omnia consuêsti. Quis secundis minùs intumuit? quis adversis magis erectus? quis est repertus in utràque fortunâ præstantior? in labore pertinacior, in remissione diligentior, & cautior? Quòd si Socraticus ille Xenophon iterum reviviscat, Cyro Persarum Rege præterito, te unum sibi deliget, ad cujus exemplum perfecti Regis, atque omnibus numeris absoluti simulachrum effingat: quippe cùm in te unum confluant omnia, quæ ille in suo Cyro non tàm cernebat, quàm optabat: ut pote qui in eo celebrando ad votùm potius quàm historiam, orationem accommodârit. Quod tuus iste in Italiam adventus maximè declaravit: ubi tria, nullâ posteritate obliterãda, peregisti. Primò fama illa quæ passim invaluerat, tuo jussu, atq; Imperio,

Imperio, Urbem Romam esse direptam, & ruinis deformatam, penitus est extincta: cùm planè declaraveris, te nihil pluris facere, quàm Sedis Apostolicæ decus, & dignitatem. Deinde cùm rumor increbuisset, te paratum advenire: ut universam Italiam Martis vi, & armorum terrore compleres, ultrò pacem non minus salutarem, quàm insperatam omnibus obtulisti, ardentissimásq; bellorum faces, præter omnem omnium opinionem subitò extinxisti: plus nimirum laudis ex Italiâ pacatâ, quàm domitâ, & evictâ reportaturus. Postremò, si qui prius in te animo fuerant alieno, pietate, modestiâ, mansuetudine ita omnes in tuì admirationem attraxisti, ut te velut numen de cœlo missum, non minùs colant, quàm vereantur. Atque utinam tantum in me esset vel ingenij, vel eloquentiæ, ut hæc, non dico augere, sed vel satis dignè attingere possem: ut si mea quantulacunq; industria tibi & majoribus tuis aliquando usui fuit, hac ingravescente ætate, in tuarum laudum, rerumq; non minus sapienter quàm fortiter & fortunatè gestarum, commemoratione acquiescerem. Hactenus tamen nihil neque agendo, neque scribendo prætermisi, quod ad hominis tibi deditissimi, atq; obsequentissimi officium pertineret. Et hoc ipso tempore, quo una cum Clemente VII Pon: Max. qui non minùs re, quàm nomine, CHRISTI veram, & expressam refert imaginem, ea consulis & moliris, quæ ad Christianam Rempub. labantem, ac penè collapsam, rursus erigendam, & in pristinam dignitatem vindicandam, maximè facere videntur. Libellum quendam exaravi, quo (ni fallor) quanta sit Imperij dignitas, & majestas, quantaq; tua in sedem Apostolicam, & universam Italiam beneficentia, si non ornatè, attamen dilucidè declaravi. Tu munusculum hoc, velut meæ in te observantiæ, & pietatis pignus, hilari & sereno vultu accipies, & si minus eloquentiam approbabis, fidem certè, integritatemq; non aspernaberis

AMPLISS. PATRI GARSIÆ DE LOAYSA EPISCOPO OXONIEN. ET CÆSARIS CONFESSORI, IN LIBRUM de Coronetione Argumantum.

CUM te visendi, & salutandi causa nuper adijssem, videreris q; à majoribus curis expeditus: inter nos ortus est sermo de eâ, quæ omnium in ore versatur, Coronatione: super qua cùm multa ultro citroq; commentaremur, eò deducta est oratio, ut ex recentis memoria ānalibus retulerim, quatuor fuisse Cæsaris nostri proavos, qui continuatâ serie in Imperium successerunt. Quorum duo, Sigismundus, & Federicus nihil antiquius habuêre, quàm Coronæ adipiscendæ gratia Romam usq; magnis itineribus proficisci: Duo verò reliqui, Albertus scilicet, & Maximilianus, sive quòd rem totam parvi fecerint, sive quid aliud in causâ fuerit, id munus neq; appetere, neq; oblatum suscipere curarunt. Quibus à me narratis, duo percontatus es: Unum, an hæc ipsa Coronatio ad Imperij jura capescenda, stabiliendaq; aliquid afferat: Alterum, an his infularum solennibus, ita præfixus & constitutus sit locus, ut alibi quàm Romæ fieri nequeant. Quemadmodum nec Feriæ Latinæ, nisi in monte Albano: nec sacra Parasceves, nisi Hierosolymis celebrare fas erat. Ego cum ad utrumq; explicandum me minus paratum viderem: quòd ea studia jampridem intermiserim, quæ nisi assiduo usu exercitationeq; alantur, è memoriâ prorsus evanescunt, in aliud tempus responsum distuli. Sicq; à te discessi, ut mox in Bibliothecam divi Dominici me receperim: unde non prius sum egressus, quàm evolutis grandibus quibusdam iuris Cæsarei, ac Pontificij voluminibus: adhibitoq; amplissimi patris L. Cardinalis Sanctorum Quatuorviri ad omne officium expositi, & de Cæsaribus nostris quàm optime meriti, consilio atq; judicio, hunc confecerim sive commentarium, sive farraginnem, sive Centonem malueris appellare: in quo nihil penitus est meum, præter operam, quam navavi: ut ea, quæ carptim, & ut quisq; liber in manus venerat, celeri calamo exscripseram, in unum veluti corpus effingerem, & totidem verbis eadem ipsa redderem. Nam ut apud veteres jurisconsultos, qui vel una syllaba à præscriptâ actionis formulâ cadebat tota causa cadebat: Sic mihi cautum volui, ne transversa quidem linea in alienis scriptis afferendis attestandisq; aberrarem. Boni itaq; consule, si qua fortè hic verba reperias, nec Latina Moneta percussa, nec Civitate donata: id enim feci non tàm Latini sermonis inopia (licet & id quoq;) quàm ut sensus planior, explicatiorq; redderetur: speroq; fore, ut quantum mihi laudis adimet eloquentia neglecta, tantùm gratiæ conciliet veritas

et veritas patefacta. Duo verò in causa sunt, cur hanc paucarum horarum lucubratiunculam tuo nomini dedicârim, & quòd à te hac omnis disputatio est nata, & quòd ubi colluctantium inter se juris consultorum sententias recensui, ad divum Thomam, cui non minus pietate, quàm sapientiâ proximè accedis, tanquàm ad sacram Anchoram confugio. Quocirca tuo gravissimo judicio, exactissimaq; censura, cujus omnis doctrina ex uberrimis Divi Thomæ fontibus emanat, hoc quicquid est commentationis subjicio: ad quam explicandam, ut commodior mihi aditus detur, quædam de origine, & usu Coronarum paulo altius repetam.

DE PRIMO ORTU ET INVENTIONE CORONARUM, MULTIPLICIQUE EARUM USU.

CAPUT I.

SCRIBIT ATHÆNEUS, DILIGENS ANTIQUITATIS indagator, à veteribus coronam in honorem repertam, ob capitis dignitatem. Quòd in hoc initium sensuum & principatus consistat: & ubi (si quid Platoni credimus) tanquam in humani corporis arce, eam animi vim, quæ mens, sive ratio dicitur, Natura collocavit. Sed Liberum Patrem omnium primum capiti suo coronam ex hederâ imposuisse, author est Plinius. Postmodum earum usus apud Græcos Romanosque fuit adeò frequens, ut & in sacrificijs, & victorijs, & in sacris certaminibus adhiberentur: eoque progressa est ambitio, ut etiam in commessationibus & convivijs discumberent coronati. Dabantur quoq; honoris causâ, & ab universo exercitu Imperatori, & vicissim ab ipso Imperatore his, qui in acie egregio aliquo facinore claruerunt, nonnunquam & à senatu populoque Romano. Unde in libris Pontificijs Cæsareisque proditum est, quandoque coronam dari in signum imperij, ut in c. Venerabilem. de elect. l. bene à Zenone c. de quadr. præscript. Quandoque in signum industriæ, & præmij militaris, ut 1. dis c. jus militare Quandoque in signum spiritualis victoriæ: ut de renun. c. nisi.

Triplex corona, genus. Triplex autem earum genus à Theophrasto enumeratur, ex floribus odoriferis, ex floribus sine odore, ex arborum ramis frondibusque. At Crassus cognomento dives quartum

tum adinvenit, qui primus coronas argento auroque folia imitantibus suis ludis exhibuit: mox crescente luxu, repertum eas ex solido auro conflare, interdum etiam gemmis unionibusque intertexere. Inditum verò est cuique coronæ nomen ex eo usu, ad quem fuerat comparata, ut Triumphalis, quæ triumphanti dabatur ex Lauro intertexta, quoniam ea arbor est lætitiæ victoriarumque prænuncia. Obsidionalis, quam liberati ab obsidione liberatori porrigebant, facta ex gramine, inde sumpto, unde obsessos servasset: quippe cùm certissimum apud antiquos victoriæ signum esset, victos victori porrigere herbam terra evulsam. Civica quam civis civi, à quo servatus fuerat in prælio, testem vitæ salutisque retentæ dabat, ex ilice quercúve conserta. Erant præterea Coronæ Ovales, erant & Murales, & Castrenses, & Navales, & si quæ aliæ. Sed nulla fuit nobilior, majorisque in majestate populi Romani honoris & gloriæ, quam Graminea. Gemmatæ, Aureæ, Triumphales, Civicæ, post hanc fuêre: cæteras Imperatores dabant militibus, hæc ab universo exercitu servato, servatori suo offerebatur: interdum & à senatu, populóque Romano: ut Fabio Maximo Annibale ab Italiâ pulso: deinde & Augusto, Jano clauso, pace terra mariq; parta. Nullus verò fuit vetustioribus seculis Coronæ regiæ usus, licet Tiara tàm reges, quàm sacerdotes Persarum uti consueverint, & Mitra Meonij, Syrij, Phrygij, ac Lydi: quam hodie Pontifices adhibere solent, cùm rei divinæ operantur.

Triumphalis corona. *Obsidionalis.* *Ovalis.* *Muralis.* *Castrensis.* *Navalis.*

CAP-

CAPUT II.

Quæ fuerint olim Regum insignia, & de institutione Coronandi Reges, Imperatores, atq; Pontifices.

Sceptrum. Sella. Trabea.

Nsignia Regum erant Sceptrum, in quo jurisjurandi religio inerat: & Sella cui alteri, quàm regi insidere capitale fuit: & Trabea vestis auro purpuráque intertexta. Quæ duo summus vetustatis observator uno versu amplexus est Maro:

Et sellam regni trabeamq; insignia nostri.

Qui illa quoque superiora pari brevitate perstrinxit:

Sceptrumq; sacerq; tiara.

Diadema. Sed præ omnibus Diadema, id est, fascia linea & candida, quæ Regum capita cingebat, inuentum (ut puto) quod Ægypti, & Iudææ reges inungi soliti, tempora oleo delibuta linteolo velarent: licet Plinius referat Liberum Patrem primò Coronam lauream fascia candida illigasse. Legimus Alexandrum quandoque sibi Diadema detraxisse, ut vulnus quod in fronte ceperat, Lysimachus obligaret: quæ res portendit illi regnum, quo mox Alexandro vita functo est potitus. Quibus autem fluctibus & procellis regium nomen sit expositum, Rex ille palam fecit, qui Diadema manibus pertractans exclamauit: *O nobilem potius quàm felicem pannum! sub quo quantum ærumnarum lateat, si quis scierit, ne humi quidem iacentem tollet.* At Cn. Pompeio inuidiæ fuit, quòd fascia crus obligatum haberet ulceris causa, quasi regni affectati indicium præferret: quod Fauonius ei exprobrans, *nihil*, inquit, *refert, qua parte diadema geras* Nec aliud, ut reges Corona insigniantur, initium fuisse puto, quàm quod senatus, populusque Romanus, aut Reges in amicitiam

amicitiam societatemque receptos: aut quos ex priuatis ad regale solium extulerant, aurea corona (velut id esset amicitiæ, fœderisque pignus) donare consueuerant. Quapropter, cum suum omne ius populus Romanus in principem transfuderit, ambigi solet, an oporteat Reges ipsos, quò in sui quisque regni solio stabiliatur, ab ipso Imperatore Corona donari: id quod glo. c. in synodo. lxiij. distin. affirmare videtur: licet in c. in apibus. vij. q. 1. & in c. venerabilem. aliter senserit. Sed nec coronandi Pontificis consuetudo admodum est vetusta: Olim à clero, populoque Romano Pontifices electi (ubi intercesserat Imperatoris autoritas) Cathedræ diui Petri insidebant, nullis alijs cerimonijs adhibitis. Demum increbuit usus in hunc diem obseruatus, ut simul ac quis designatus est Pontifex, inter missarum solennia per Præsulem Hostiensem coronetur. Cæsarum quoque Coronatio prioribus sæculis ignota fuit. Siquidem Ottho, ex Imperatoribus primus, traditur à Ioanne XII. corona donatus, accepto Germaniæ Pannoniæque titulo: quod reliqui Imperatores deinceps obseruarunt, translato tunc primum (ut quidem tradunt) ad Germanos Imperio: quamvis alii à Leone viij. ut in d. c. in synodo, alij à Gregorio quinto id factum autument, de quo mox plura.

Coronandi pontificis mos unde.

Coronatio Cæsarum.

CAPUT III.

Vnde ortum sit, ut Imperatores tribus Coronis coronentur, & an Imperium sit immediate à Deo, an verò à Pontifice.

Mihi verò sacrorum vatum monumenta exactius perscrutanti, videri solet non tàm humano, quàm diuino ab instituto Imperatores argentea, aurea, ferreaque Corona insigniendos esse, ad exem-

plum supremi terræ cœlorumque Regis Iesu Christi, quem sacræ designant literæ, his tribus Coronis ornatum. Argentea, ut Zach. v. *Sumes*, inquit, *argentum, & pones in capite Iesu:* Ferrea, ut in lib. Regum sub imagine Zedechiæ, qui ferream sibi fabricauit coronam: Aurea, ut in Apocalypsi: *Vidi*, inquit, *supra nubem filium hominis, habentem in capite suo coronam auream.* Nam fabulosum est illud, & sanè perridiculum, quod interpretes cominiscuntur. c. de indictio. lib. x. tribus scilicet coronis Imperatorem decorari, æmulatione populi Romani, qui triplici lustro condendo, primum auro, deinde argento, postremo ære honorabantur. Quidam hoc triplex infularum genus ad nescio quas allegorias & mysteria referunt, atque aiunt, Imperatorem primum argento coronari, ut intelligat se oportere esse purum, nullaque labe pollutum. Vnde & veteres vocarunt argentum purum putumque: deinde ferro, quod significat tantum virium ei inesse debere, ut in Longobardia (olim Gallia Cisalpina) hostes deuincat, eijciatque, totam denique Italiam ex infestissimorum tyrannorum manibus eripiat. l. in nomine domini. ff. de offi. præfe. præ. Afr. Postremum Romæ auro insigniri, quia sicut aurum perfectissimum est, ac preciosissimum metallorum, ita Imperator in Vrbe Roma, quæ est Imperij caput, supremum assequitur perfectionis gradum, nihilque ad ejus sublimitatem addi posse videtur. l. i. c. de offic. præf. augu. Cæterum hæc tria Coronarum insignia velut è cœlo esse delapsa hi potissimum affirmant: qui Romanum Imperium putant à solo rerum omnium opifice, ac moderatore Deo emanasse, nec ulla ratione ad Pontifices esse referendum. Pro qua sententia pugnant ferè omnes Cæsarei juris interpretes, quorum sunt velut antesignani, Bald. l. i. c. de sum. tri. Bar. l. i. ff. de requi. re. & Alb. d. l. bene à Zenone, & idem Bar. in extra. ad reprimendum

Corona argentea. Ferrea. Aurea.

Allegoria triplicis corona.

mendum Muniunt ſe præſidio Authenticæ quo mo. oper. epi. colum. i. & Auth. de fide inſt. col. vi. ubi declaratur, *Deum de cælo Imperium conſtituiſſe, ut difficil:bus legem imponat.* In eiſdem quoque ſubſellijs verſantur plerique, quos pro contraria factione ſtare putes, & præſertim Innocentius Papa, quo nemo ſincerius, incorruptiùſue ſacrorum canonum fontes reſeravit, in c. licet ex ſuſcepto. de fo. compe. & Archi. xcvi. diſt. c. duo ſunt. c. ſi Imperator. c. cum ad unum. Hoſtien. in ſumma de appella. §. quoniam. Hos ut à ſuis deficiant, & velut transfugæ in aliena caſtra demigrent, imprimis compellit autoritas divi Auguſtini, aſſerentis ipſa jura per Imperatores & rectores ſeculi Deum diſtribuiſſe humano generi. c. quo jure. diſtin. viij. Cui aſtipulatur Ioannes Papa. c. ſi Imperatori. xcvi. diſt. *Si, inquit, Imperator Catholicus eſt, habet privilegia ſuæ poteſtatis, quæ adminiſtrandis legibus publicis diuinitus eſt conſequutus.* Et mox adiungit, *Ne contra Dei beneficia pugnare videatur, à quo propri:m conſequutus eſt poteſtatem.* Quid quod in c. quæſitum. xxiii. q. iiii. & d. l. in nomine domini: diffinitur, *Iura Imperij à cæleſti numine tradita eſſe:* namque Imperium ſequitur Deum: ut in authen de digni col. vi. Idcirco Imperator appellatur *Pater omnium poſt Deum,* authen. ut ex exac. inſti. do. col. vii. Ad hæc ſtabilienda pleraque afferunt veteris novique inſtrumenti teſtimonia, ut illud Proverbiorum. c. viii. *Per me Reges regnant*: & Pſalmographi, *Deus iudicium tuum Regi da*: atque id generis alia. Inſuper illum locum ex 1. Petri epiſtola, *Deum colite, Regem honorate.* Item & illum, *Subditi eſtote omni poteſtati, ſive Regi tanquam præcellenti, ſive Ducibus ut ab eo miſſis.* c. ſolite de maio. & obe. c. magnum. xi. q. i. Nec parum facit diui Pauli autoritas in Epiſtola ad Romanos: *Non eſt, inquit, poteſtas niſi à Deo.* & Matth. xxij. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ*

sunt Dei Deo c.convenior. xxviii.q. viij. ubi diuus Ambro. quæ Cæsaris, quæve Pontficis partes sint luculentissimè recenset.

CAPUT IV.

Quibus rationibus legum interpretes nitantur ostendere, à solo deo jus, & potestatem Imperij derivari.

Ratiocinatio dialectica.

AD tot testes accedit ratiocinatio hæc, ex intimo Dilaecticorum artificio deprompta. Cum duorum est idem per se principium (Quod *immediatum* nostri temporis philosophi vocant) neutrum ab altero dependere potest. Sed Papa, & Imperator censentur ejusmodi, alter igitur ab altero nequaquem dependet. Primum sumptum, necessitatem habet: cum eius contrarium subsistere nequeat. Secundum ex his elicitur iuribus, quæ iamdudum in medium attuli, ex quibus colligi volunt Imperatoris potestatem à Pontificia esse omnino sejunctam, & diuisam, neutramque ab altera pendere, cum ab eodem principio ortum habeant, & utrique suo ductu, suisque auspciis rem communem gerant. Quod hoc quoque connexo stabiliri potest: Quæ diversa sunt inter se, & diversos ad fines tendunt, alterum ab altero non dependet, sed utrumq; ad tertium quippiam est redigendum. l. ij ff. de ver. obli. Sed potestas spiritualis, potestasq; secularis sũt diversa inter se, & diversos ad fines tendunt. c. duo sunt. xcvi. dist. vnde conficitur neutrum ab altero pendere, sed utrunque à tertio quopiam, id est à mundi opifice Deo provenire.

Moses & Aaron Christi typus.

Præterea Moses, & Aaron expressam Christi imaginem referebant. ut Deut. c. xviii. *Prophetam*, inquit, *suscitabo eis de medio fratrum suorum, & erit similis mihi*, & Exod. c. xviij. *Applica quoq; ad te Aaron fratrem tuum cum filijs, ut*

sacerdotio

sacerdotio fungantur mihi. Sed Moses ut Legislator, Aaron vero ut summus sacerdos eam imaginem referebant. Vnde qua ratione Papa tanquam summus sacerdos, ut legislator, locum Mose obtinet, ut c. trans. extra. de consti. Ex quibus plane convincitur, non alterum ab altero, sed utrunque à solo Deo manare, quemadmodum Moses & Aaron à cœlesti numine suam uterque potestatem accepit. Eò accedit, quod jure gentium discretæ sunt gentes, regna condita, & dominia distincta. l. ex hoc jure ff. de just. His ductus rationibus Petrus de Ancha. vir miræ pietatis (sed qui ita religionem est amplexus, ut ab inani fuco & superstitione fuerit omnino alienus) ostendit regna esse de jure divino, deinde gentium, copiosissimeque id exequitur in consil. suo. cccxi. & cccxli. Quod si etiam demus Papam & dignitate & autoritate Imperatori esse præferendum, nihil tamen prohibet dicere, utrumq; à Deo seorsum, & nullo medio interiecto, proficisci: cum omnis potestas à cœlesti aula derivetur. c. omnibus. 24. q. i. c. magnum. xi. q. i. c. solite de maio. & obe. Verè & appositè Seneca in libro de Clementia, personam Cæsaris induens, ita loquitur: *Ego ex omnibus mortalibus placui electus, qui sim in terris ut Deorum vice fungerer. In mea potestate est qualem quisq; statum sortemq; habeat: quos Reges mancipium fieri, quorumq; capiti regale decus circundare oporteat.* *Petrus de Anch.*

CAPUT V.

Argumenta quibus canonum professores asserere student omnem Imperatoris autoritatem à Pontifice emanare.

Aduersus hos Cæsareę dignitatis assertores, quidam non minus in hac disputandi palæstra exercitati, omnibus nervis persuadere nituntur, omne Im-

mne Imperij robur & facultatem à summo Potifice derivari, freti præcipuè autoritate Psal. cxxxv. ubi scriptum est, *Qui fecit luminaria magna, Solem in potestatem diei, Lunam & Stellas in potestatem noctis*. Per quæ significari volunt Sacerdotium, & Imperium: ut Sol videlicet Sacerdotium designet, Luna Imperium demonstret. Vt autem Luna omne lumen à Sole mutuatur, nec aliunde quàm ex ejus radijs elucescit: itidem Imperialis maiestas splendere nequit, nisi Pontificis fulgore illustrata. Hi pro comperto habent, utrumque gladium penes Ecclesiam esse: cum Apostoli, qui totius Ecclesiæ personam sustinebant, intrepidè protulerint, *Ecce gladij duo*: nec Christus eos ut superfluos exclusit, sed respondit, *sufficit*: & cum Petrus gladium perstringeret, nequaquam jussus est eum abijcere: sed in vaginam recondere, quasi vsum prohibens, non Imperium auferens. Quæ enucleatius explicat And. Siculus. c. novit. de iudic. Anto. de Butr. in c. per Venerabilem, qui filii sint legitimi. Augustinus Anconitanus in libro qui est ab eo scriptus *De Ecclesiæ potestate*. Qui omnes ex hac Euangelica narratione effici volunt, vsum solum & procurationem alterius gladii Imperatori demandari, potestatem verò utriusque penes Pontificem residere. Perinde ut legum interpretes statuunt, actiones directas, licet inanes & inefficaces, remanere penes cedentem, sed earum vsum in cessionarium transferri. l. in causæ. ff. de proc. l i. ff. ad Treb. Huic sententiæ mirum in modum applaudit illud Leonis, iiii. q. iiii. & Nicolai Papæ. c. omnes xxii. dist. *Ecclesiam*, inquit, *solus Christus fundavit, & supra Petram fidei mox nascentis erexit: qui beato Petro æternæ vitæ clavigero terreni, simul & cœlestis Imperij jura commisit*. Verum ad hoc persuadendum nihil videtur accommodatius, quàm ejusdem Nicolai iussa, quæ narrantur in. c. autoritatem. xv. q. vi. *Hæc*, inquit, *in mandatis*

Vterque gladius penes Ecclesiam.

datis damus, ut spirituali simul, & materiali gladio malignos illos eorumq́ fautores insequantur. Quo ex loco plerique argumentantur, Pontifici licere bellum hostibus indicere, & illud suo Marte gerere, atque etiam prælio interesse, ut c. igitur. xxiii. q. viii. Quod adversus Christianæ pietatis hostes fieri posse quis ambigat? cum nec illud dubium sit, Pontificem bellandi tempora diesque legitimos, ut olim Fœciales, posse statuere: ut c. si nulla. xxiii. q. viii. aliosque ad bella iustè suscipienda excitare. c. ut pridem ead quæst. & præcipè Imperatorem: Adriani exemplo, cujus hortatu & precibus Carolus Magnus bellum adversus Longobardos suscepit. c. hortatu, eadem quæst. Quod si Papa gladii exercendi potestatem Imperatori non daret, nec eam quidem auferre posset. Sed Innocentius Pontifex Archadium Imperatorem à fidelium communione seclusit: ut in c. duo sunt xcvi dist. & Pontif. Zacharias Regem Francorum regno privavit, ac Pipinum Caroli patrem, in ejus locum suffecit. c. alius. xv. q. vi. perempto autem quod sequitur, interimitur quod præcedebat. Vnde necessariò efficitur, Pontificem gladii potestatem Imperatori dare, cum illam quoque adimere possit, quinimmo & Imperium de gente in gentem transferre. c. Venerabilem, de Electione. Efficax & illud argumentum, quod Imperator à Pontifice inungitur, coronatur, iudicatur: atque ab augustali solio deturbatur, ut. d. c. alius: & c. i. xxvi. dist. quid quod conceptis verbis iusiurandum præstat, & quicquid habet eidem refert acceptum. c. tibi. domino. lxiii. di. Clem. i. de iureiur.

Pontifici licere belligerare.

Papa Imperatores ac reges regno privare potest.

Hæc & si qua huius generis feruntur, priores illi obstinate refellunt: asserentes Imperium, quod fuit Pontificatu longè vetustius, à solo Deo procedere, ipsosque Imperatores olim & Pontifices appellatos, & sacra ministrasse, ut in c. cleros. xxi. dist. & c. de capitulis. x. dist. Idemque apud

Imperium pontificatu vetustius.

veteres erat Rex, Sacerdos & Pontifex, ff. de rerum divi. l. ſacra loca. quod regius vates David teſtatur, cum de Moſe loquens ait: *Moſes & Aaron in ſacerdotibus ejus, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen ejus.* Hinc maximus Poëta, qui ſemper plus in receſſu habet, quàm fronte oſtendat, de Heleno cecinit:

Rex Helenus, rex idem hominum Phœbiq; ſacerdos.

Quaproter tradunt Græcæ Romanæque hiſtoriæ ſcriptores, regibus expiandæ cædis munus incubuiſſe. Sacerdotium enim ante legem cœlitus Moſi traditam ſola humana inſtitutione deferebatur, ut teſtis eſt diuus Thomas, quem vehementer autorem ſequor, in i. ſecundæ. q. cv. De hac tota diſceptatione egregie ſcribit Ioan. Pariſien. in eo, quem edidit, *de poteſtate Papali & Imperiali*, libro: & Dantes Florentinus in Opuſculo, quod *de neceſſitate Monarchiæ* inſcribendum duxit, & omnium poſtremus Antonius Roſella. Hi utrumque inficiantur, vel per Solem, & Lunam, vel per duos gladios Imperium & ſacerdotium ſignificari: & licet Clemens. III in d. c. ſolitæ, æquiparet ambas poteſtates Soli & Lunæ: tamen (ut memorabilis glo. ibidem explicat) hæc duo mundi lumina à ſummo rerum Opifice proveniunt: non autem alterum ab altero emanat. reliqua quibus aduerſarij ſe tuentur, ut friuola & inania reijciunt.

CAPUT VI.

In hac materia neq; legibus, neq; canonibus eſſe ſtandum, & quid diuus Thomas ſuper his ſenſerit.

IN hac parte lectorem monitum velim, ubi de his agitur, quæ ad Imperii decus, & dignitatem pertinent, nec civile, nec pontificium jus ſatis virium aut

rum aut firmitatis habere: cum hi & legum & canonum autores architectique fuerint, qui vel Imperij vel Pontificatus habenas moderabantur. Quem autem quisque rebus in humanis gradum obtinet, eum honoratiorem, insigniremque reddere studet. Sed qui leges condidere, eodem tenore sibiipsis ubique constant, atqui Canones, diuersis & inter se malè cohærentibus sententiis conflictantur, & nunc Imperii maiestatem ad superos usque tollunt, nunc eam paulatim deiiciunt, quandoque ad imum usque præcipitant, atque, in Euripi modum, modo hac modo illac reciproco cursu feruntur: ut scilicet, vel necessitas cogebat, vel præsentibus rebus magis expedire videbatur. Sed nihil est cur ea causa quisquam sibi aut placeat, aut displiceat: cum ejusmodi scriptis nequaquam sit standum, quorum repellerentur autores. c. fraternitatis de hæreticis. c. licet ex quadam. de test. C. de Episcop. audien. l. mathematicos. Nec plus credi oportet mortuæ, quam vivæ voci. Quid autem sunt aliud leges (ut inquit Aristoteles) quàm mortui principis voces: nec aliud est Princeps, quàm lex viva: ut auth. de Consuli. §. fin. Quod si leges vetant cuiquam etiam testi jurato in sua peculiarique re fidem adhiberi, ut ff. de test. l. nullus. nec ejus profecto scitis, sanctionibùsve credi oportet. Illis igitur paulisper sepositis, ubi quid ambigui, obscurique inciderit, ad sacros Theologorum fontes recurremus, vnde omnis pura, & incorrupta veritas emanat. Quædam etiam (ut hactenus fecimus) ab historijs, quarum autoritas semper habita est venerabilis, & sacrosancta, mutuabimur. In hac verò tam diuturna, & acri juris peritorum colluctatione, inter quos dissidium adhuc durat, & quasi bellum civile, si quis velut arbiter honorarius omnem litem sedare velit, ex divi Thomæ sententia velut pro tribunali pronunciet. Imperium quatenus separationem quandam execu-

Leges vbiq; sibi constant. Canones non item

tionis temporalis (ut ejusdem verbis utar) à spiritali designat, à Deo manare, disponente & volente, ut hi gladij per diversos exerceantur: de quo egregiè beatus Bernardus in eo *de consideratione* libro, quem Papæ Eugenio dedicavit. Sed nihilominus (ne à verbis divi Thomæ discedam) ordo & gradus eorum, per quos hi gladii exercentur, ejus generis sunt, ut minor à maiore procedat, sicut à divinis humana, & à cœlestibus terrena proficiscuntur. Non minus doctè, quàm religiosè scribit idem Tho. in libro de regi. princ. *Christus monarcha.* Christum fuisse verum monarcham, præque omnibus aliis tripliciter excelluisse: duratione perpetua, utilitate totius mundi, & prærogativa divinitatis: Christique monarchiam simul cum ejus nativitate cœpisse: quamvis ut Reges, magistratusque exemplo suo submissiores redderet, eam ad tempus occuluerit. Sub Christi verò monarchia duo sunt corpora mystica: alterum spiritale, alterum temporale c. duo sunt XII. q. I. Priori præest Pontifex, posteriori verò Imperator. Vnumquodque autem caput influit primariò in suum corpus, quemadmodum in corpore naturali universa membra vim & robur à capite mutuantur. l. cum in diversis. ff. de religio. & sump. fune. Quod satis in se habet firmitatis, ad probandum ab eo capite, quod est Christus, Imperium æque primo atque Pontificatum derivari: Christus enim etiam antequam in Virginis úterum se insinuaret, caput erat Ecclesiæ, & si nunquam hominem induisset, adhuc Ecclesiæ caput foret, ut verissimè docet Divus Thomas, à quo dissentire, sine hæresis suspicione nemo potest, in quæstio. de veri. c. XXIX. Sed quemadmodum asserimus omné Imperij potestatem à summo Opifice mundi provenire, tanquam à primo autore: ita velut in concione promulgamus, usum & exercitationem Imperatoriæ jurisdictionis à Papa, ut vicario Christi, & in quem omnis Monarchia est transfusa,

transfusa, derivari: sicut peculium servi non est solum à domino principali, sed etiam à vicario. ff. de pecu. l. diffinitio peculij, cui omni ex parte quadrat glo. in c. in synodo. lxiii. distin. quæ asserit Papam dare gladij potestatem Imperatori, cujus tamen exercitium ipse non habet.

CAPUT VII.

Ex translatione Imperij à Græcis in Germanos quid juris acquisierit Ecclesia: hasq; duas potestates esse omnino distinctas.

SEd fac Imperium tam origine, quàm usu à solo cœlesti numine prodire, ea tamen comitiorum ratio, qua omnis eligendi facultas Gemanis principibus est tradita, ab ipso nimirum Papa emanavit. Et propterea in ipsius situm est potestate, hanc principis eligendi formulam, vel omnino abrogare, vel aliter, atque aliter, ut usus postulaverit, immutare: ut pulchre declarat divus Tho. in eo quem sæpe affero de regi. princ. lib. ex quo verba hæc adjeci: *Imperium transfertur à Græcis ad Francos, deinde per Adrianum Papam ad Germanos, apud quos per Gregorium V. similiter genere Teuthonicum, instituta est electio Imperialis, ut scilicet per septem principes Alemaniæ fieret: quæ usq; ad ista tempora perseverat, & tamdiu durabit, quamdiu Ecclesia Romana, quæ supremum gradum in principatu tenet, Christi fidelibus expedire iudicaverit.* Hæc divi Tho. sententia ex his stabilitur, quæ Platina scribit in vita Adriani V. *Adrianus*, inquit, *cogitaverat constitutionem Gregorij de Imperatore eligendo, non quidem omnino tollere, sed in meliorem formam immutare.* Hæc moverunt Petrũ de Ancha. Zaba. Paul. & reliquos, ut in d. Clé. Romani, utrun-

Imperium à Græcis ad Francos, deinde ad Germanos.

ni, utrunque faterentur, & Imperium prima sui origine à Deo emanasse, & eo postea de Græcis in Germanos translato, Pontificem Romanum novæ quasi genituræ habere autorem, atque parentem. c. venerabilem: de elect. Quæ autem fuerit illa translatio, & quibus ex causis, & per quem, & quo tempore facta, memorabilis est glo. in d. c. venerabilem: & plenè habetur. in d. Clem. Romani. Hactenus hæc tenui quodam è rivo delibavi, quę si quis plenius noscere cupit, unà mecum ad uberrimos Theologorum fontes hauriendos accedat.

CAPUT VIII.

An sicut universus terrarum orbis subest Pontifici quo ad sacra, ita subsit Imperatori quo ad profana.

OMnis theologorum schola vna voce testatur, quicquid terrarum ubique patet, qua Christianum nomen diffunditur, quo ad sacra ceremoniasque Romano Pontifici subesse: sed illud in dubium revocatur, an hæc ipsa potestas, quo ad profana, & quæ temporalia vulgò dicimus, pari ambitu in Cęsarem sit propaganda. Et licet nonnulli partium studio in eo laborent, ut Cæsar in ordinem redigatur: cum tamen ambo ex eodem fonte perfluxerint, & eadem semita incedant, de utroque idem puto sentiendum. Namque Imperator mundi dominus & est & appellatur. ff. ad l. Rho. de iac. l. deprecatio. Totiusque terrarum orbis Monarchiam obtinet. xij. q. i. c. futura. Vnde & à Christo solutum est Cæsari tributum, ut exemplo doceret, omnes Cæsari vectigales esse oportere. c. magnum xi. q. i. Fuit enim ex usu publico, ut cunctæ res mortalium ad unius ditionem, & arbitrium pertinerent ff.

Impe. mundi dominus.

de orig.

de orig. jur. l. ij. Quod animadvertens divus Ambrosius, vir adeò acer & vehemens, ut Theodosium censoria quasi nota inurere sit ausus, in c. conuenior. xxiij. q. vij. fassus est *Imperatori omnia licere, ipsiusq́ esse universa.* Cuius quidem autoritas tam longè lateq; patet, ut ejus legibus omne genus humanum alligetur, cum reliquis omnibus, atque ipsi etiam Pontifici quoad profana præesse videatur: & ea propter circa universæ Reipub. totiusque mundi negotia dicitur occupari. l. præcipimus. C. de appel. & authen. de hære. & fal. colla. i. Quum finis Imperij sit, saluti atque incolumitati consulere subditorum. ff. de offic. præsi. l. præses. Sed nescio an satis rectè hanc sententiam solis Cæsarianorum copijs defendam: cum in eisdem præsidijs omnes ferè sacrorum canonum professores versentur: & cum primis Hostiensis in summa de offic. ordi. §. i. & glo. in c. volumus. xi. q. i. & c. omnes. xxviii. q. i. quæ tradit Gallos, & alios transalpinos legibus Imperij teneri. Idem testatur glo. c. super Specula. de privile. & d. c. per venerabilem: ubi valdè cautè, & pensiculatè scribitur, *Regem Franciæ de facto non agnoscere superiorem*, perinde ac si dicat, *de jure tamen agnoscere debet:* quum de jure (ut eadem affirmat) Romano Imperio subsit.

Impe. omnia licere.

Rex Franciæ.

CAPUT IX.

Cum Imperium à violentia cœperit, quomodo dicatur esse à Deo.

HVictam populari, plausibilique sententiæ repugnat, quod ipse Imperator duas tantum esse affirmat causas, quibus suum Imperium constat, & stabilitur: vel quod illud beneficio populi Ro. obtineat, vel quod justo bello ab hostibus occuparit. ff. de cap.

 & postli.

& Postli. re. l. postliminium. l. hostes. Sed vtraque causa manca videtur, atque parum efficax: cum exploratissimum sit, non licuisse populo Ro. plus in principem juris transferre, quàm ipse habuerit. l. traditio ff. de acquiren. re. do. c. nemo de regu. jur. lib. vi. Nullum autem jus Romanos in exteras gẽtes habuisse, priscis ex annalibus cõstat. Vrbem etenim Romam Romulus & Remus condidere, qui cum omni principatu & ditione caruerint, scelere & iniuria, alios atq; alios suis è sedibus expellendo, sibi & posteris tyrannidem potius, quàm legitimum Imperium pepererunt: & quicunque ab eis causam ducunt, successores vitiorum & culpæ esse videntur. l. cum hæres ff. de divers. & tem. præs. Verùm ut hic nodus quo multi irretiuntur, dissolvi possit: ad divi Tho. sacrarium, quasi ad aram confugiamus, qui pronunciat, *Imperium Rom. licet à violentia ortum traxerit, consilio tamen nutuq; divino invaluisse, & ad rerum apicem evectum esse, propter bonum commune.* Divina enim providentia (ut idem tradit) œconomicæ ac politicæ, non minus appositè, quàm necessariò comparatur: cum Deus mundum universum, perinde ut familiam, vel civitatem moderetur. At bonus paterfamilias Reipublicæque præfectus, mavult bonum illud suscipere, & procurare, quod latius patet, ad pluresque pertinet, quàm unius vel paucorum. Idcirco si res ita postulet, quippiam exigui mali, aut dissimulando tolerat, aut connivendo fieri permittit: ne quod optimum est factu, usuique plurimorum accommodatum, impediatur. Nihil autem est paucorum non tenue, atque exile, si ad rem communem fuerit collatum. Vtque partes ipsæ corporis humani simul omnes iunctæ, atque connexæ vnum hoc efficiunt corpus: sic homines ipsi per tot provincias, regna, tetrarchias longè lateque diffusi, unum quasi efficiunt corpus, quod Imperium appellatur. Etenim ut mundo ambienti & conti-

Romulus & Remus.

continenti omnia unus eſt, qui præeſt Deus, moderator & rector univerſi; unumque illud ſupremum, & extimum cœlum perenni circuitione rotat, cujus efficit motus, ut reliqui cœleſtes orbes, & quæ eis ſubiacent, ſuo quæque ordine moveantur. Sic voluit, ut quamvis privatim quiſque, & per ſe bonum expetat, quo quidem alius differt ab alio: tamen bono, quod commune eſt, ſocientur omnes, ab illoque dependeant, recteque veteres dixerunt, *è cœlo Regium nomen deſcendiſſe.* Quid quod ipſa parens, & altrix omnium natura, quæ optima, & perfectiſſima quæque in ſuo genere efficit, ſanxiſſe videtur, ut in omni multitudine ſit unum aliquid, quod cunctis præſit? Nam etiam apibus unus eſt Rex, quo incolumi (ut inquit Maro) *mens omnibus una eſt, Amiſſo rupere fidem.* c. in apibus. vii. q. i. Et belluarum greges ductores quique ſuos habent: nec gruum quidem ſine duce volatus ſunt longiores. Quæ omnia declarant naturam ipſam, quæ operi ſuo quàm optime conſultum voluit, initio ſtatuiſſe, ut in univerſo terrarum orbe unus eſſet aliquis, qui illum regeret, communiſque boni curam ſuſciperet. Sapienter Ariſto. in ultimo tranſmun. philo. lib. magis ſecundum naturam eſſe tradit, univerſum orbem ab uno teneri, quàm à pluribus, citatque hos Hom. verſus: *Regium nomen è cœlo.*

Res mala, multiplici mundum ditione teneri:
Eſto unus Princeps, populos cui pace regendos
Iuſtitiaq; dedit, magni regnator Olympi.

At M. Cicero, vehemens alioquin publicæ libertatis vindex, quodam loco affirmat, *ſine Imperio, nec domum ullam, nec civitatem, nec gentem, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum naturam omnem, nec mundum ipſum poſſe.* Ea propter alta quadam, & incomprehenſibili Dei providentia effectum eſt, ut populus ille collectitius, ex agreſtibus caſis, aut infami aſylo profectus, violentas manus in ur-

bes.

bes regionesque alienas inijceret: quò scilicet Imperium, totius futurum orbis caput, ad publicum generis humani usum, & incolumitatem constitueretur. Nec enim supremus mundi opifex (ut tradit Augustinus, quo nemo altius reconditos sacrarum literarum sensus penetravit) quicquam mali permitteret, nisi maiora inde bona sapientissimus idemque potentissimus eliceret.

CAPUT X.

Cur ad Romanos Imperium fuerit delatum, quantaq; sit ejus sublimitas.

CÆterum ex ejusdem Tho. disciplina constat, Deum Optimum Maximum Imperium Romanis contulisse, propter amorem patriæ sanctissimas leges, & pietatem. Divus Hieronymus morum censor acerrimus in. c. omnes. xxviij. q. i. fatetur *Romanos virtutibus Imperium meruisse: præsertim divini cultus, ceremoniarumq; observantia.* Nam (ut scribit Cicero) magnum studium fuit antiquis, non solum servandæ, sed etiam propagandæ religionis: De quo præclarè Valerius. *Omnia,* inquit, *post religionem ponenda semper nostra civitas duxit, quapropter non dubitaverunt sacris Imperia servire: ita se humanarum rerum habitura regimen existimantia, si divinæ potētiæ benè & constanter fuissent famulata.* Hinc Plautus rū poëta festivissimus, in Trinūmo plausibiliter dixit: *Quis est homo tanta confidentia, ut sacerdotem violare audeat?* Veruntamen Imperium in terris triplicem ortum, incrementumque habere tradunt: cum alij plerique, tum inprimis Cardinalis in. d. c. Venerabilem. & c. causam, qui fil. sint leg. vel voluntate, consilioque divino: vel consensu eorum, qui reguntur:

guntur: vel demum impressione, ac violentia. Illud etiam adijcit per diuturnum provinciarum, populorumque consensum, qui voluntariè tot annos sub Imperio degerunt, vitium violentiæ purgatum esse: atque dissensum transijsse in consensum: ut c. de his quæ vi. me. cau. l. si per vim. Quo quidem nomine Imperium Romanum dici potest justum, omnésque nationes ei morem gerere oportet: ut per Innocent. in c. super his de vo. & vo. & Bald. de iusti. & iur. ff. l. ex hoc jure. Quibus astipulatur illud Ezechielis: *Faciam gentem unam, & erit Rex unus, & non erunt duæ gentes.* Cum igitur Imperium divinitus fuerit institutum, qui ei resistit, ordinationi divinæ resistit. xi. q. iij. c. qui resistit. Quem non terreat illa dira execratio adversus rebelles, & contumaces promulgata in c. Imperatores. xi. q. iij. *Qui præceptum*, inquit, *Imperatoris contemnit, sibi ipsi præiudicium acquirit: & inter homines pœnas luit: & apud Deum frontem non habet.* Nónne & in Deum impius: & in homines inofficiosus est censendus, qui Imperatoris maiestatem labefactare conatur: cum promulgatum sit in Authen. ut omnes obe. iu. pro. col. iv. *Imperatorem habere universam jurisdictionem ab ortu usque ad occasum Solis: & ab utroque latere*, scilicet meridie septentrioneque: item & ab omnibus insulis, quæusque ad Oceani recessus extenduntur: ut in authen. ut eccle. Roma. cen. an. præ. Hinc natum est illud non illepidum glossæ commentum, in Rub. c. de indictio. lib. x. Imperatorem scilicet triplici Corona insigniri, quod sit totius mundi dominus, qui tres in partes dividitur: quod enim toti Asiæ dominetur: promulgatū est. l. fin. c. de tempo. appel. quod Affricæ. l. i. c. de offi. præfec. præt. Af. Quod Europæ. l. ij. c. de appel. Non de nihilo scribit divus Tho. Imperatorē trahere nomen à supremo dominio, quasi omnium dominum. Et ea propter, qui ei subesse recusat, omni succedendi *Imp. triplici Corona cornatur & quart.*

jure, legitimisque hæreditatibus privatur, ut dist. i. c. jus Quiritium.

CAPUT XI.

Vter major præstantiórque sit, Pontifex an Imperator.

HÆC Imperij maiestas publicam differendi materiam plerisque dedit, qui per factiones divisi tumultuariè quærunt, uter maior sit censendus, Pontifex, an ne Imperator. Qui priores Imperatori tribuunt, legibus Cæsareis muniuntur. l. victor. c. de sum. tri. & in usib. feu. rub. consti. divi Lotarij, & de prohibi. alie. feu. per Lota. in quibus Imperator præfertur Pontifici: quodque validissimum est in l. gloriosissimo. & c. de sum. tri. & in c. victor Honorius. xcvi. di. Papa sibiipsi præfert Imperatorem. At in c. nos si incompetenter. ij. q. vij. se ejus judicio censuræque subijcit. Quanti verò illud est faciendum, quod ecclesia veteri jure Imperatori pendere tributum cogebatur: ut d. c. tributum & c. omnis anima, de censi. Omniaque fana, templaque ejus erant in potestate: ut authen, ut eccle. Rom. Adeò ut sacratissimis delubris immunitates, privilegiaque donare consueverit. c. auditis de rest. spol. & c. in synodo. lxiii. distin. Sacri etiam antistites, cum universo initiatorum ordine, Cæsarum ditioni parebant: ut enarrat Innoc. in c. ii. de maio. & obe. Quæ cum ita se habeant, iure optimo Imperator appellatur sacratissimus. d. l. bene à Zenone. Et cum ipse nascitur, dicitur nasci auspicium Lucis. c. de ferijs. l. omnes. Hæc licet firmissima sint: contraria tamen sententia non minus validis fulcitur adminiculis, cum per Christum Petro, suisque successoribus tradita fuerint utriusque regni gubernacula, cœlestis scilicet

Imp. sacratissimus.

Auspiciū lucis.

ſcilicet & terreni. Ad quod ſtabiliendum plurimi Canones in medium afferri poſſunt, ut c. i. xxii. di. reliquos ſtudio brevitatis omitto Qui huic ſententiæ inhærent, pertinaciſſimè contendunt (in quo totius diſputationis cardo verſatur) Chriſtum dum in humanis agebat, utrumque gladium diſtrinxiſſe: ſive cum vendentes, & ementes flagellis ejecit è templo: ſive cum mulierem deprehenſam in adulterio iudiciaria poteſtate abſolvit: & id genus pleraque memorant, quæ ad utramque juriſdictionem videntur referri: ut per Gregorium Nazianzenum in c. qui ſtudent, i. q. i. ut ille nihil omnino juris exercuit, dum humana ſub imbecillitate latebat, quod Vicario ſuo non demandaverit, inquiens, quodcunque ligaveris ſuper terram. Math. xvi. Nonne utitur notione generali, *quodcunq;* & nihil penitus excipit: Quid illud, *Tibi dabo claves?* per huiuſmodi multitudinis numerum omnem cœli terrarumque ditionem comprehendens, ut ſubtiliter diſputat Hoſtien. de maio. & obe. c. ſolitæ. de elec. c. ſignificaſti. & d. c. per Venerabilem. Sed hæc levi (ut aiunt) brachio collidi poſſunt: nam etſi demus Chriſtum quæ utriuſque poteſtatis ſunt exercuiſſe: non continuo ſequitur, id quod adverſarii efficere nituntur: non enim id egit, ut præſcriberet hæc duo munera ab uno tantum eſſe obeunda: ſed ut teſtatum relinqueret, utrunque ab eo procedere. Duo ſiquidem hæc dona, Imperium, & Sacerdotium ab eodem principio defluunt, & ad eundem finem referuntur, in auth. quomo. op. epi. colla. i. Sed neque duæ, ſed una eſt tantum clavis: poteſtas ſcilicet illa per quam ſacerdos ligat, & ſolvit: duas autem & appellant, & in imaginibus ſtatuiſque effingunt, propter duo, quæ clavem gerentibus ineſſe debent: nam præter ligandi poteſtatem, oportet eos habere iudicandi & diſcernendi peritiam d. c. per Venerabilem ut ſit altera clavis ligandi atque ſolvendi: altera

Chriſtus utrumq; gladium diſtrinxit.

tera ſcientiæ, de quo gloſſa eſt memoratu digna xx. diſt. in prin. & gloſſa & Inno. in c. quanto. de jurejur. Abb. in c. ſi. de exces. prǣla.

CAPUT XII.

Cum his principibus poteſtates ſint diſtinctæ, alter in alterius juriſdictionē ſe ingerere non debet, niſi opus ferendæ gratia.

IN hac iudiciorum varietate vero ſimilimum duco, idque è priſcorum annalium monumentis approbatum, à prima fidei naſcentis origine duo tribunalia fuiſſe omnino diſtincta: quique uni inſidebat alterum non attigiſſe, quod planè declaratur c. duo ſunt. c. ſi Imperator. di. xcvi. c. convenior. xxiii. q. viii. Accedit & illud Pauli ad Tim. *Nemo militans Deo, impedit ſe negocijs ſecularibus: vt ei placeat, cui ſe probavit.* Sed quonam piaculo prætermittam Nicol. ſecundi oraculum, qui in c. cum ad verum. xcvi. di. *nec Imperator*, inquit, *jura Pontificatus accipiet, nec Pontifex Imperij vſurpabit: quoniam idem mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctis, officia vtriusq. poteſtatis diſcrevit: ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium rerum Imperatorijs legibus vterentur.* Hinc illa formidoloſa Chriſti Iudæorum ſcelere circumventi, adverſus Petrum comminatio: *Omnis qui gladium accipit*, ſcilicet ad alterius jus ſpectantem, *gladio peribit*. xxiii. q. viii. c. primo: de quo ſcribit Apoſt. ad Roma. *Pricipem non ſine cauſa gladium portare:* cui quidem gladio tantum attribuit Auguſtinus, ut fateatur neminem mortalium non ei gladio eſſe obnoxium. d. c. omnis anima, de cenſi. & quicunque Cæſare prohibente hunc

Duo tribunalia in primitiva Eccleſia.

hunc gladium manu perstrinxerit, eum gladio periturum. c. solite de maio. & obe. Gravis est illa, & ad rem de qua agitur, accommodata Inno. autoritas, in c. quæsitum. xxiii. q. iv. *Meminerant*, inquit, *à Deo potestates esse concessas, & propter vind ctam noxiorum gladium esse permissum, Deiq; ministerio datum.* His fretus suffragatoribus celebris ille interpres Ioannes, qui scholia, (sive glossas, & glossemata malueris appellare) in universum propè jus Pontificium edidit in. c. quoniam. dist. x. *Ego*, inquit, *credo, potestates esse distinctas, licet Papa quandoq; vtramq; sibi assumat: cum scilicet aliquem quò ad spiritualia & temporalia legitimat: licet illud egerit permissu Regis, qui id suo arbitratu præstare potuit.* Eadem fermè, & approbat, & sequitur Host. in sum. qui fil. sint legit. §. quis & à quo Quæ omnia in unum collecta, maximam vim habent, ad ostendendum, nec Pontificum jura esse ab Imperatore, nec à Pontifice Imperatorum usurpanda, gladiumque Cæsaribus ab ipso cœlesti numine, non à mortalium quoquam fuisse porrectum, & perinde hos inter principatus tribunalia ita esse divisa, ut alter in temporarijs, & caducis, alter in his, quæ ad cultum divinum & animarum sanctimoniam spectant, summum jus obtineat, & facultatem. Quod si quid juris in Cæsarem ipsi Pontifici esset, in profanis quoque ab ipsius tribunali, ad Pontificem appellare liceret: cum appellatio sit ad superiorem magistratum provocatio. c. ii. de consuet. lib. vi. si antecedens interimis: elides & perimes quod est consequens. At Alexander Pontifex ad se provocari vetat: inquiens id suam jurisdictionem nequaquam attingere. c. si duobus. de appell. quod quæso indicium apertius esse potest, diversis licet in collegijs eos pari fungi potestate, nec alteri in alterum jus ullum esse. Pro hac parte omnes Cæsarianarum rerum studiosi, perindè ac pro aris atque focis contendunt, quorum ple-

rique potius de vitæ ſtatu, quam de hac ſententia deduci poſſe videntur: & imprimis Albe. in. d. l. benè à Zenone. ubi præclarè ſcribit, *optimè cum rebus humanis actum iri, ſi unaquæq; iurisdictio ſuis contenta finibus, alienos limites non uſurparet: Ita etiam*, inquit, *in univerſo terrarum orbe pace ſtabili atq; inconcuſſa frueremur*, Non minus ſapienter Inno. in d. c. per Venerabilem, vetat alterum principem in meſſem alterius falcem immittere: hac tamen exceptione, niſi ad mutuam opem ferendam. Namque Imperator defenſor eſt, advocatus & patronus eccl. ut c. adminiſtratores xxiv q. v. c. ſi in adjutorium. x. di. cum alijs penè innumeris. Atq; ubi quod per ſchiſmaticos alióſve in religione turbatur, quamvis nec accerſitus nec interpellatus, vltrò accurrere debet, & tanquam Triptolemus alter iuſtitiæ armis indutus, adverſus ignorantiæ & perfidiæ jacula in aciem deſcendere: quæque collapſa videntur, aut brevi ruitura, fulcire ac ſuſtentare. Quocirca ſcribit Ioa. And. vir liberrimi judicij, & neutri parti addictus, *Vbi eccleſiaſtica poteſtas deficit, Imperatorem ſupplere*, ut traditur. c. principes. xviij. q. v. Principes ſeculi nonnunquam intra eccleſiam poteſtatis culmina tenent, ut per eandem, diſciplinam eccleſiaſticam muniant: quem locum citat Bal. in. c. olim. de reſcri. & hæc adjungit: *Imperator olim ſchiſma curabat, concilium congregabat, illiq; intereat*. Sed hodie, ut idem ſcribit, faſces amiſit, quia reges ab ejus obſequio ſeſe abduxerunt de re. iu. c. ad apoſtolicæ. lib vi. Quam me delectat illa Martini Imperatoris profeſſio: in c. nos xcvi. di. *Nos* inquit, *ad fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam exemplo religioſiſſimi Conſtantini ſynodo intereſſe volumus, ut veritate inventa, non vltra multitudo pravis doctrinis attracta diſcordet*: quod his miſeris temporibus, an neceſſarium foret, Deus ipſe judicet: imò ut affirmat Bal. in. d. c. olim. ubi agitur de

Imperat. Defenſor, advocatus & Patronus Eccleſiæ.

religione

religione tutanda, vel totius mundi periculo, si ille cujus interest, non vult ratione & justitia ali, ab Imperatore armis compelli potest. c. de iud. l. nullus. An autem summus Pontifex quicquid civitatum, locorumve obtinet, Imperatori acceptum referat, & eo nomine inferior censeatur, adeò exactè, & dilucidè explicat Præpositus. c. ad verum. xcvi. dist. ut nulli dubitandi relictus esse locus videatur. Nec illud in dubium venit, Imperium prius origine fuisse Papatu, & quatenus antiquior, eò dignior Imperator est censendus. l. i. de albo. scri. ff. sed quo spiritalia, & æterna temporarijs, & caducis sunt sublimiora, eo Papa maior, excellentiorque haberi debet. Illud verò extra omnem aleam positum velim, his in rebus, quæ ad ceremonias divinumq; cultum referuntur, Pontificem habere jus & potestatem in ipsum etiam Imperatorem. c. novit. de iudi. Quo Inno. velut Vulcani clypeo munitus, Arcadium Imperatorem, quod Chrysostomum ab episcopali sede deijci permiserit, excommunicationis censura innodavit. duo sunt. xcvi. di. Quinimò si divina mysteria spectes, quilibet Antistes dicitur esse Imperatore maior. *Talem* (inquit optimus ille, sed parum felix Imperator) *in Pontificia constituite sede, cui & nos, qui gubernamus Imperium, sincere nostra capita submittamus.* lxiii. di. c. Valentinianus. Cum Imperatori vel ab episcopo sacris interdici posse, exemplo Ambrosij convincatur, qui Theodosium à sacrorum commercio exclusit, ob delictum in sua diocesi perpetratum. An autem Papa ea succedat in Vicariatu potestatis, & dignitatis prærogativa, qua beatus Petrus à Christo fuerat evectus, egregiè explicat divus Thomas in sum. contra genti. l. iii. c. lxxvi.

Imperium prius origine Papatu.

In quibus Pontifex habeat jus in Imp.

CAP-

CAPUT XIII.

Quale fuerit olim Imperium, & vt prius successione, deinde per electionem delatum sit.

CVm hactenus demonstratum sit sacerdotium & Imperium eisdem è fontibus emanasse, & alterum ab altero nō admodum differre: opere precium me facturum puto, si quæ amborum fuerit origo, qui progressus, atque incrementa: quantaque inter utrunque sit vel æqualitas, vel similitudo paucis attigero. Illud præfabor, quod neminem historiæ Romanæ studiosum latere reor, Imperatores olim, suffragio militari solitos creari: ut in. c. legimus. lxiii. di. Quippe à Senatu populoque Romano, cujusque provinciæ moderandæ cura consuli, prætori, alijsque magistratibus demandabatur, qui ubi aliqua insigni clade hostes affecerant, mox ab universo exercitu Imperatores nominabantur. Ius autem erat Imperatori nominato Fasces laureatos honoris causa gestare, quibus frequenter Senatus decernebat plurium dierum supplicationes, velut triumphi futuri prærogatiuam: quo, post victoriam, magnifice gesto, votisque Tarpeio Iovi persolutis, ab Imperatoris nomine abstinebant: sed hoc castrense nomen in eum est translatum, qui Romani Imperij gubernacula tenet: cujus immutationis causa fuit Iulius Cæsar, qui cum rerum potitus, dictatoriam Regiámque potestatem in se convertisset, quod sciret Regium nomen Romanis esse invisum atque adeò execrabile: ad declinandam invidiam pro Rege Imperator maluit appellari: id quod multo antea fuerat meditatus. Nam cum M. Antonius consul, Anciliorum die, ei diadema obtulisset, ille altissima voce

Imp. suffragio militum creabatur olim.

Imp. im.

Iul. Cæsar.

Regium nomen Ro. invisum.

voce exclamavit, ut ab omnibus audiri possit, *Cæsarem non Regem esse*, diademaque procul abiecit. Quod M. Cicero omnibus eloquentiæ suæ viribus M. Antonio frequenter exprobat: id non omisit divus Tho. nullius elegantioris expers disciplinæ: qui in lib de regi. prin. tam sæpe repetito, Imperatorem tradit non dici Regem, quia nomen Regium Romanis erat odiosum, Cæterum Imperium à Iulio Cæsare ita auctum, & constitutum, quasi per manus successionis jure deferebatur: sic Octavius in familiam Iuliorum adoptatus, Cæsari successit: & Tyberius per adoptionem Octavio: eodem jure Caligula Tyberio: Nervæ Traianus: Traiano Adrianus: Adriano Antonius: nam Vespasianus Imperium nullo aliũde hærede accersito ad suos liberos transmisit. Quid autem laboro seriem Cæsarũ singulatim recensere? cum Imperium olim successorio edicto fuisse delatum habetur, in c. denique vii. q. i. Vbi glossa refert filios Regum jure Reges esse oportere, & David Salomonem sibi successorem instituisse. Quem autem quisque in successorem cooptabat, is vel Cæsar, vel Augustus est appellatus, sic Valentinianus Gratianum filium suum Augustum dixit, & Diocletianus Constantium, atque alij alios. Quandoque tamen suffragio militari Imperator creabatur: ut Vespasianus à Iudaico, Galba ab Hispanensi, Vitellius à Germanico exercitu, ad supremum fastigium sunt evecti: qui tum demum jure facti censebantur, si Senatus, populique Romani autoritas intercessisset. Et ne sola historia me sustentem: Canones tradunt principatum non sanguini deferendum esse, sed vitæ: & quando, aut vnde habuerit ortum Imperium, copiosè narrat Archi. xi. q. iii. c. Iulianus: & Iac Alva. x. coll. quis di. dux. co. vel mar. At cur olim successionis serie nunc autem ex electione deferatur, disputat Ioannes And. in addi. Spec. ti. de rescrip præsenta. §. fi. Bal. c. i. de

Imp. successionis jure deferebatur olim.

Canon. de Imperio.

pace te. in vſi. feu. & Petr. de ancha. conſi. ccclxxxi. Quot demum apud priſcos fuerint imperia: tradit Bar. in extrau. de repri. & Alua. d. colla. x.

CAPUT XIV.

Quomodo olim deferebatur Pontificatus, & quæ in ea re fuerit Imperatorum autoritas.



ÆC ideo vberius de Cæſaribus recenſui, ut ad Pontifices facilior aditus pateret, quo mea omnis tendit oratio: qui tamen non Papæ, nec Pontifices, ſed *Ramani Epiſcopi* vocabantur, nomen à vetuſtis temporibus deductum. Nam Athenienſes, quos ſpeculatum mittebant, quid in vnaquaque ſubditarum civitatum boni malive, æqui aut iniqui ageretur, hos epiſcopos, id eſt, ſpeculatores vocabant: ut c. qui Epiſcopatum. viii. q. i. Refertque Plutarchus, *Scipionem Affricanum à Senatu in Aſiam miſſum eſſe Epiſcopum gentium Regumq;*: & Cicero ad Atticum ſcribens, *Me*, inquit, *Pompejus eſſe voluit, quem tota Campania & ora maritima habeat Epiſcopum, ad quem delectus, & negotij ſumma deferatur.*

Epiſcopus Romanus.

Papæ nomen unde.

Vnde verò & quare Romæ Epiſcopo nomen hoc Papæ fuerit inditum, & an ſit nomen dignitatis, an potius ordinis, tradit Ioan. Andr. in præfa. Clemen. & de tranſla. præla. c. iv. & xc. diſtin. c. ſi quis. Verum ut de ratione nominis ambigitur, ita dubitatione caret, Pontificatum olim per ſucceſſionem deferri ſolitum. Nam & Petrus, quaſi ex teſtamento Cletum ſucceſſorem reliquit, vel (ut alij malunt) Linum, qui Clementem ſibi adoptavit, at Cletus Anacletum, duravitque is mos uſque ad tempora Hilarij. c. ſi Petrus. c. Moſes. viii. q. i. qui Pontificatum, inivit.

Pontificatus olim per ſucceſſionem deferebatur.

inivit, anno salutis D. hic primus instituit, ne Pontifices successores sibi deligerent: quæ sanctio est redacta inter Decretales constitutiones, & ad omne sacerdotum munus prorogata: ut in c. i. de præb. & per universa capita, quæ comprehenduntur in viii. q. i. Veruntamen quacunque ratione ad Pontificatum pateret ingressus, nemo Apostolicæ Cymbæ gubernacula capescebat, ni prius imperatoris autoritas intercessisset, ut c. Adrianus. c. in synodo. lxiii. dist. Mos enim apud veteres invaluerat longo annorum decursu observatus: ut Clerus, populusque Romanus Pontificem eligeret: quo designato in Imperatoris manu erat electionem ratam, irritamve habere. c. Agatho. lxiij. distin. & ut collibitum fuerat aut eum admittere, comprobareque, aut ipso reiecto, & exploso, alterum subrogare. Perduravitque is mos usque ad Adrianum anno salutis DCCCXV. qui tanti animi fuit, ut initio Pontificatus sui ad Senatum, populumque Romanum retulerit, ne in creando Pontifice Imperatoris autoritas expectaretur, utque libera essent cleri, populique suffragia. Sed huic edicto minimè fuit obtemperatum, permansitque vetus illa consuetudo, Pontificis ab Imperatore confirmandi: verba sunt Platinæ in vita Gregorij IX. qui præfuit Pontificatui anno Christi M. lxxij *Gregorius*, inquit, *multis muneribus ultrò citroq; missis, cum Henrico Imperatore in gratiam redijt, qui eum in Pontificem Roma. confirmavit, ut tunc temporis mos erat.*

Papa electius ab Imperatore confirmari solebat.

CAPUT XV.

Vnde evenerit, ut mutato vetere instituto, Imperator confirmetur à Pontifice.

QVid iam aliud superest, quàm ut velut in frequenti iuris peritorum consessu studiosè quæramus, unde tam

nova rerum facies eruperit, tantaque labentis Imperij facta sit immutatio: ut cum per mille supra annos, nullus, nisi prius interposita Imperij autoritate, Pontificatum fuerit assequutus, ut perspicuè habetur in c. in synodo. alijsque ca. lxiij distin. Nunc fortuna immutata, & in contrarium reflante, Cæsar, quò rerum habenas pleniore jure moderetur, alieno egeat adminiculo. Civilium legum interpretes. d. l. bene à Zenone, hanc (ut putant) Imperii calamitatem deplorare non desinunt, & causantur astu potius doloque, quàm ex æquo vel bono, tam certa diuturnaque privilegia Cæsares amisisse, & (ut inquiunt Bal. & Albe.) ex longa Imperii vacatione atque interregno, nec non potentia prudentiaque Summorum Pontificum, & aliorum Romanæ Ecclesiæ præsidum, tantum decoris & dignitatis Cæsaribus esse ademptum. Sed hi omnes (mea quidem sententià) errorum tenebris involuti, à recta semita declinarunt: quibus si quid luminis affulsisset, facile fuit intueri, triplicem huius mutationis causam. Vel quod imperatores ea privilegia, quibus plerunque Romanæ ecclesiæ insultabant, sponte à se abdicarunt. c. ego Ludovicus. lxiij. dist. & c. tibi. Vel quod ex abusu ea perdidere. c. verum. ea. di. Vel postremo, quod ejusmodi ex causa concessa fuerint, quæ explicatur in c. Adrianus, & sequen. ea. dist Cessante autem causa privilegij, è vestigio privilegium evanescit. c. quod pro remedio. i. q. vii. Bal. vir ingenij acutissimi, & dialecticis disciplinis apprimè ornatus, in c. olim. de rescri. nos admonet, ut duo tempora animo revolvamus, alterum cum ecclesia lacera, & exanguis parum firmitatis habebat, alienoque adminiculo fulciebatur, quæ tunc præsenti scenæ inserviens nihil non indulsit Imperatoribus, seque quodammodo servilem in morem emancipatui dedit. Alterum quum eò amplitudinis, & autoritatis excrevit, vt vel

Triplex causa, cur Imp. à Pontifice confirmetur.

Cæsari-

Cæsaribus ipsis esset formidolosa, quando scilicet Imperium cœpit inclinare, & Reges principesque ab eo deficere: tum demum suo usa est foro, & tam gravi iugo discusso, se in libertatem vindicavit: idque optimo jure: cum Imperia, ut inquit Valerius, debeant sacris famulari. Hoc confecto, demendus iam est ille scrupulus ex animo quorundam, qui anxiè percũctantur: cum primævo ritu Christianaq; institutione omnes ferè vectigales essent ecclesiæ, penderentque annuum Imperatori tributum authen. ut eccle. Roma c. si tributum. c. magnum xi. q. prima, qua ratione factæ sint immunes, quisve eas à tali iugo eximere potuerit. Legum interpretes in d. l. bene à Zenone, id effectum putant sola indulgentia, liberaque Imperatorum voluntate: quod licet non absurdè dici videatur, sententia tamen Innocen. proximius ad veritatem accedit: qui in c. ij. de majo. & obe. affirmat eas potuisse per decreta Pontificum ab alieno emancipatu eximi, & tanquam res spirituales quasi vinditiarum iudicio in libertatem revocari. Theologi, quid hæc vestigijs omnibus indagata tenent, rem totam exactius perscrutantur, & præsertim divus Tho. ij. secundæ q. lxiij. ubi affirmat, Leonem Papam ultrò se subiecisse iudicio Imperatoris, quemadmodum Christus hominibus. Vt autem quæ super hac quæstione omnium ingeniis agitata divinus ille vir senserit, in lucem prodeant, quædam ex priscis Cæsarum annalibus paucis perstringam. Leo primus ex Græcorum genere in demortui Martini locum est suffectus, qui Leonem II. ex sorore nepotem sibi successorem designavit: at ille non multò postea morbo oppressus, patri Zenoni Imperium reliquit, & ita per manus summa Imperij potestas apud Græcos diu remansit. Postmodum anno salutis DCCC. ob principum Constantinopolitanorum impietatem, cultusque divini neglectum: à Græcis in Germanos per Stephanum Imperij facta est translatio.

CAPUT XVI.

Imperium à Græcis ad quos fuit translatum, & quid in eo juris adepta sit Ecclesia.

NAm fide caret, quod in plurimorum animis insedit, & à gl. in c. ego Ludovicus lxiii. dist. his verbis enarratur: *Imperium primò Francorum fuit, sed postea Teutonici virtutibus promeruerunt Imperium.* Qui error irrepsit, cum ex historiarum inscitia, tum ex nominum propinquitate, quod pro Franconia, Franciam: pro Francis Gallos crediderunt. At divus Hierony. omnibus humanioribus disciplinis excultus ad Iovinianum scribit: *Francos Germaniæ populos, inter Suevos & Saxones, regionem fortem magis & bellicosam, quàm latam tenere.* Siquidem Franconia (ut ex ratione cosmographiæ deprehendimus) à Septentrione & Oriente sylva Hyrcinia continetur: à meridie Suevos attingit, ab occidente ad Rhenum non pervenit. Sed olim Francorum fines, ut omnium ferè Germaniæ populorum, nullis terminis claudebantur, virium robore, & bellicis successibus extendere, propagareq; limites consueverunt. Hi Germaniam longe lateque pervagati, Coloniam ad Moganum Fluvium (unde Moguntina) deduxere, quam à suo nomine Francofordiam vocarunt: deinde Rheno superato, Belgisque in potestatem redactis, omnes ferè Gallicas vires attrivere, ut iam non Gallia: sed ab ipsis Francis Francia fuerit appellata. At Carolus Martellus ex his Francis oriundus, quos orientales vocant, Tongros, Eburonesque, & alios his finitimos populos hæreditario jure possedit, præfecturamque totius Galliæ bellica virtute promeruit: cui Pipinus filius in opes dignitatemque

Franci Germaniæ populus.

Francia unde dicta.

temque

temq; successit, & Zachariæ Pontificis autoritate in locum Chylderici Galliarum Regis, quem glo. in d. c. Venerabilem, per incuriam Ludovicum nominat, est suffectus. Nam Chyldericus ob inertiam, & quod raro in conspectum suorum prodibat, regno deturbatus, in monasterium obtrusus est, ut c. alius. xv. q. vi. erat enim eo tempore Gallorum Regum mos, qui prius fuerat Persarum, ut sese vix ulli spectandos exhiberent. Cæterum Stephano Pontifice autore, in Carolum Pipini filium à Byzantinis principibus Imperium est translatum: ut. d. c. Venerabilem. cujus verba sunt hæc: *Apostolica sedes Imperium in personam magnifici Caroli à Græcis transtulit ad Germanos.* Et in Cle. Romani de jureju. *Ecclesia*, inquit, *à Græcis Imperium transtulit ad Germanos.* Hæc si glossematum scriptor, alijque canonum interpretes accuratius legissent, nullus errori locus foret relictus: nec enim nego quosdam ex Gallorum regibus olim imperasse, sed Imperium à Græcis in Gallos aliquando esse translatum, id verò pernego. Verùm ut ad seriem narrationis revertar, Primus Germanorum Carolus cognomento Magnus, summum principatum est adeptus, deinde salutis anno M. II. Gregorius V. de eligendo Imperatore sanctionem tulit, Otone V. (qui tunc Imperium tenebat) non refragante: ut scilicet solis Germanis liceret principem deligere: qui Cæsar, & Romanorum Rex appellatus, tunc demum Imperator, & Augustus haberetur, cum Romani Pontificis autoritas accessisset, eamque eligendi facultatem concessit tribus Archipræsulibus Moguntino, Treverensi, & Coloniensi: quatuorque principibus Marchioni Brandeburgensi, Comiti Palatino, Duci Saxoniæ, & demum Regi Bohemiæ: apud quos in hunc usque diem principis deligendi omne jus residet. Ex hac historiarum serie neminem latere potest, ecclesiæ licuisse legem præscribere futuris Imperatori-

Stephanus Pont. in Carolum Imperium à Græcis transtulit

Carolus Magnus. Sanctio de eligendo Imperatore.

Electores Imp. septem qui.

Imperatoribus ab ipsa jus habentibus, juraque veteris Imperij immutare: cum Germanicum imperium, non tam dicatur succedere in locũ prioris, quàm ecclesiæ illud trasferentis. Nec Antistites, Principesque Germaniæ aliunde quàm à Papa jus potestatemque Imperatoris eligendi obtineant. Vt est glo. valdè memorabilis in. d. c. in apibus cujus verba sunt hæc: *Qui dicit Imperatorem nostrum jurisdictionem habere sine Papa, dicit nos Imperatore carere.* Vnde sequens est, ab eo usque tempore, quo Imperium ab Oriente in Germaniam fuit translatum, Græculum illum non fuisse verum, nec legitimum Imperatorem: cum rationi repugnet, duos simul rerum summa potiri. d. c. in apibus. nam si sunt multi, erunt multa capita, quasi monstrum. de offi. ord. c. quanto, nisi ambo unius vicem obirent. l. divi fratres. c. de jure patro. Et si aliquando plures imperitarunt, id contigit (ut scribit Archi.) violenter, & de facto. Non est igitur cur curiosi & qui plusquam oportet sapiunt, mirentur: Imperatorem omne illud jus, quod in Pontifices aliosque sacrorum ministro, tot seculis exercuit, à se, ut fas piumque erat, penitus abdicasse. ur lxiii. dist. c. ex his. quum non dominus, sed filius ecclesiæ, & sit & appelletur. c quis dubitet. xcvi. distin. & xxiii. q. viii. c. cum mirum. Ea propter super his quæ spiritalia sunt, nec juris quicquam habet, nec immunitates cuipiam, vel etiam diplomata dare potest. Vt est glo. in c. veniens, de rest. spo. & in Cle. Romani. de jure-ju. Vtcunque enim se res habuerit in violento illo priscorum imperio, nostrum certè à sede Apostolica sumpsit exordium, ejusque solius autoritate nititur, nec extra ecclesiam est imperium. xxiv. q. i. c. sed illud Hoc est in causa cur Imperator in verba Pontificis jurat: & iusjurandum (quod fideitatis appellant) ei præstare compellitur: ut c. tibi. lxiij. dist. ab eoque inungitur, consecratur, approbatur, & coronatur.

Imp. Græcus.

Imp filius non dominus ecclesiæ.

Cur Imp. in verba Pontificis jurat.

natur: ut d. c. Venerabilem. & per Hostien. de sacra vnc. in sum. §. qualiter & à quo. Et ne prioribus hæc malè cohærere videantur: nil prohibet simul dicere, potestatem Imperatoriam à Deo quidem emanare: ut d. c. Verum. Sed nihilominus etiam à Pontifice derivari, non ut est homo, sed ut Vicariam in terris Christi personam gerit.

CAPUT XVII.

An ex sola electione Cæsar jus plenissimum Imperandi consequatur.

Hinc illa orta est dubitatio, multum diuque inter recentiores, variantibus sententijs, disputata: Ex soláne electione Imperij jus potestasque deferatur: an eum inungi, approbari, coronarique prius oporteat, quàm ex augustali illo solio legem humano generi præscribere possit. Qui ad Pontificem summam rerum deferunt, eiq; omnia tàm divina quàm humana subjiciunt, ut lxxx. dist. c. si Imperator. remis velisque contendunt, electionem jus quidem Imperatori designato, sed inefficax, & sicut gladium in vagina reconditum, tribuere: at ut eum educere, ac perstringere possit, è sola Pontificis autoritate approbationeque proficisci. Hæc sententia magnos assertores invenit: ut Hostien. in summa. de verbo. sign. §. super quibus: & in sum. qui fil. sint legi. §. fin. de elec. §. & à quo confirmanda. & Spec. Ioan. And. atque alios plerosque: qui omnem movent lapidem, ut id nobis omninò persuadeant: nec solum autoritate sacrorum canonum pugnant, sed argumentorum quoque jacula in repugnantes contorquent. Non potest, inquiunt, esse perfectum, cui particula aliqua deest, ut in v. transmunda. philo.

libro tradit Arist. Sed ante inunctionem, coronationem, cæteraque solennia in constituendo Imperatore fieri solita, pars aliqua imperiali fastigio deest, alioquin hæc ipsa superflua essent, & ridicula: non est igitur perfectum. Hoc posito, consequens est, Imperatorem non ea posse præstare, quæ meri absolutique sunt Imperij: posset autem si in jure dicendo potestatem liberè exerceret: cum omnis maiestas Imperij in hoc uno consistat. l. fi. c. de legib. Insuper nemo quippiam agit, molitúrve antequam oriatur & sit, ut ff. de colla. bo. l. i. & de nova. l. quoties. Sed Imperator in ipsa coronatione dicitur oriri. c. de ferijs. l. omnes. Vel ortus, inquit, Imperij protulerunt: ergo priusquam coronetur, ea peragere nequit, quæ ad Imperatoris officium pertinent. Præterea ut in naturalibus unaquæque res tria continet, substantiam, virtutem, actionem: quæ adeò invicem cohærent, ut actio non nisi à virtute proficiscatur, nec virtus nisi à substantia, ut docet Aueroes, vij Metaph. v. Proprium siquidem est Dei nulla extrinsecus accersita virtute, per solam substantiam agere, quandoquidem Dei substantia virtus ipsa est. Itidem in moralibus, quod ad præsens negotium attinet, tria hæc, electio, confirmatio, administratio, sic indissolubili nexu vinciuntur, ut sine pernicie divelli separarique nequeant. Electio locum substantiæ tenet: confirmatio virtutis: administratio actionis: quandoquidem per electionem Imperator generatur, per confirmationem virtutem acquirit, per quam agat, per administrationem assequitur ipsum agere, atque operari. Ex quibus necessariò efficitur, ut Imperator sola ex electione administrare non possit, nisi prius confirmationis virtus accesserit, Ad hæc accedit autoritas, d. c. Venerabilem. ubi scriptum est, *jus, & potestas examinandi electum in Regem: & ad Imperium promovendum*: & in Cle. Romani. *jus & potestas*

Electio. Confirmatio. Administratio.

& potestas eligendi Regem, in Imperatorem postmodum promovendum. Quibus ex locis deprehendi potest, duos esse in Cæsare quasi dignitatis gradus: Vnum, quatenus est Rex: Alterum, quatenus Imperator promovendus. Sed cum duo gradus invicem iunguntur, quorum ea natura est, ut ordine perfectionis alter alteri succedat, qui inferiorem tenet, ad superiorem scandere non debet: ut diaconus, ad ea quæ vel Episcopi, vel presbyteri. xciij. d. c. diaconus. Ex qua graduum successione constat, eum qui in primo Regis gradu collocatur, nondum sublimitatis Imperialis gradum posse attingere: quod planè declarat Nicolaus. ij. c. in nomine domini. xxiij distin. ubi ait, *Filius noster Henricus, qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, speratur:* dialectica sunt hæc, atque in exercitationem argutiarum sæpè iactata.

Duo dignitatis gradus in Cæsare.

CAPUT XVIII.

Rationes quibus convincitur ex sola electione aliquem fieri verum, & legitimum Imperatorem.

HIs involucris nobiscum agunt, qui jura Imperij labefactare student: adversus quos nulla certior victoria est speranda, quàm si eos suo quemque gladio iugulemus: ut sic saucij & exanimes, fateri cogantur, sola ex electione ritè legitimeque facta, quemlibet verum certumque Imperatorem & esse, & nominari, posseque toto (ut aiunt) annuente Cœlo, quæ ad munus Imperatorum attinent suo arbitratu exercere. Nonne Pontifex antequam coronetur, suo officio per omnes numeros fungi solet? quinimò si quis eo prætextu literas Pontificias oppugnat, à sacris mysterijs, ut impius & profanus

arcetur: ut in extrava: Benedicti xi. quæ incipit: *Quia nonnulli*. Quid quod Inno. Pontifex in c. licet. de elect. decernit, ex sola electione Pontificem continuò Apostolicæ cymbæ gubernaculum apprehendere, nec vllius confirmationis egere? Quod si Imperium & sacerdotium parum admodum differunt, si ex eodem fonte ambo profluxerunt, si eodem itinere progrediuntur, procul dubio de utroque idem est sentiendum. Et ea propter Imperator perinde ut Pontifex eligendo confirmatur. c. in nomine domini. xxiij. distin. nulloque est opus adminiculo, ut Imperatorium munus obire possit. Quid verò in re perspicua tantum operæ ponimus? quum ille idem Pontifex, nec non certissimus Canonum interpres Innocen. omnem scrupulum ex animis exemerit: qui in c. Venerabilem. de electio. verba hæc ascribit: *Credimus tamen, quod si Imperator coronam in loco debito accipere non possit, nihilominus autoritatem administrandi ab Archiepiscopo Coloniensi possit recipere: vel sua autoritate, quam habet ex electione, sine vlla coronatione ministrare.* At Ioannes Andreas alterum juris Pontificij iubar in. c. avaritiæ de electione libro sexto: & in d. Clemen. i. non solum huic sententiæ subscribit: sed etiam addit ita de jure esse, & consuetudine à Pontifice tolerata, cui standum est. In hanc sententiam Iac. de Are. Imol. Butrigarii, Bal. Albe. denique tota juris Cæsarei schola catervatim transit. Sed ne, qui pro contraria factione stant, vel verbum unum amplius hiscere audeant, ratiocinationes quasdam ex communi usu diuturnaque experientia ductas in medium proferam: quarum prima sit hæc. In principatu omnium maximum est legem condere, soli enim Imperatori in supremæ potestatis prærogativam id competit. c. de leg. l. fi. Sed legem potest, simul atque est designatus, condere: Quod in divo Maximiliano nos ipsi observavimus, &

Antoni-

Antoninus Pius Imp. his verbis testatur: *de his õnibus divus Pater meus ingrediens mox principatũ, constitutiones, honores, & immunitates certificavit*. l. sed & reprobari. ff. de excu. tuto. quanto igitur magis, quæ minoris momenti habentur ejus erunt in potestate, per regulam non debet. Præterea si prælatus trans montes electus hac gaudet prærogativa, ut sola ex electione jus administrandi acquirat. c. nihil. de elec. quanto id justius, rationabiliusque de Imperatore, qui trans montes eligitur, statuendum est. Ad hæc, electio comitiis Germanicis celebrata illi successit, pro qua olim populus Rom. suffragia ferebat, illius ergo naturam induere debet, insti. de actio. §. fuerat, & de dona. §. qui id quod. At ex ea nullo adminiculo extrinsecus accersito summa potestas in principem conferebatur, ut scilicet quodcunque constituisset, foret ratum. ff de orig. jur. l ii. & c. legimus xciii. di. idem igitur ex hac ipsa Germanica confertur. Quod si contraria sententia vincat, in quasdam angustias, & quasi Labyrintos incidemus: quum sub Romanis Pontificibus (ne vetustiora repetam) plerique fuerint Imperatores nec inuncti, nec coronati: recenti vero memoria Albertus, & Maximilianus, sine ulla Pontificis approbatione Imperii munus egregiè obierunt: quorum omnium res gestæ, si secundum adversarios lis daretur, nihil virium, nihilque firmitatis obtinerent: sic leges civiles, sic limites cuique provinciæ designati, sic principatus vel in feudum, vel alio nomine quæsiti, & id genus pleraque radicitus tollerentur. Sed hanc repugnantiam rerum sententiarumque non tenent, qui veteres Cæsarum historias non tenent. *Albertus. Maximilianus.*

CAPUT XIX.

Constitutio Ludovici Baiovari Imperatoris de Imperij juribus, & excellentia.

HAc de re magna fuit olim colluctatio Pontificatu Ioannis xxi. & ejus successoris Benedicti xii. quum Ludovico Duce Baiovariæ Imperatore designato, demum omni ambiguitate per sacrarum literarum Antistites mature solerterque discussa, Ludovicus legem sancivit, promulgavitque, quam ad verbum his adieci, ne quis in eo amplius aberret, in quo omnis Imperii dignitas, maiestasque continetur.

Licet juris utriusq; testimonio manifeste declaretur, Imperialem dignitatem & potestatem immediate in filio Dei ab antiquo processisse, & Deum per Imperatorem, & Reges mundi, jura humano generi aperte tribuisse, atq; Imperatorem ex sola electione eorum ad quos pertinet, verum effici Imperatorē, nec alicujus alterius egere cōfirmatione, seu approbatione, cum in terris quo ad temporalia superiorem nō habeat, sed eidē gentes subsint, & nationes: & ipse dominus noster Christus mandavit, quæ sunt Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari reddēda: quia tamen nonnulli avaritiæ & ambitionis cæcitate ducti, divertentes à tramite recti sensus, in quædam iniqua & prava commenta, & assertiones detestabiles prorumpunt, fallaciter asserentes, Imperialem dignitatem & potestatem esse à Papa, electumq; in Imperatorem non esse verum Imperatorem, nec Regem, nisi prius per Papam, sive sedem Apostolicam confirmetur, approbetur, & coronetur: Per hujuscemodi pravas assertiones, & pestifera dogmata hostis antiquus movet lites, jurgia suscitat, & seditiones procurat. Ideo ad tantum malum evitan-

evitandum, de consilio & consensu Electorum, & aliorum principum Imperij, declaramus Imperialem dignitatem, & potestatem à solo Deo pendere: esseq; tam de jure, quàm de consuetudine approbatum, ut postquàm aliquis eligitur in Imperatorem sive Regem ab his quorum interest, statim ex sola electione sit verus Rex, & Imperator Romanorum censendus, eidemq; ab omnibus Imperio subiectis est obediendum: quum administrandi jus, cæteraq; faciendi, quæ ad verum Imperatorem pertinent, plenariam habeat potestatem: nec Papæ sive sedis Apostolicæ, aut alicujus alterius approbatione, confirmatione, autoritate, consensúve indigeat. Et ea propter hac in perpetuum valitura lege decernimus: ut electus in Imperatorem concorditer, vel à maiori parte Electorum, ex sola electione censeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab õnibus subjecti Imperio debeat obediri: quum administrationẽ, & jurisditionem Imperialẽ, & Imperialis dignitatis plenitudinẽ habeat: & ita habere, & obtinere ab omnibus censeatur & firmiter asseratur. Quicunque autem contra hæc declarata, decreta, vel diffinita, aut aliquid eorum asserere, aut dicere, aut asserentibus aut dicentibus consentire, vel eorum mandatis, vel literis, vel præceptis obedire præsumpserint, eos omnibus feudis, quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratijs, jurisdictionibus, privilegijs, & immunitatibus à nobis vel prædecessoribus nostris concessis, ex nunc privamus, & ipso jure & facto decernimus esse privatos: Insuper eos crimen læsæ maiestatis incurrisse, & pœnis omnibus impositis crimen læsæ majestatis committentibus subiacere. Datum in Coloniensi civitate Alemaniæ, die

Quibus igitur cruciatibus Oldradi manes torqueri credimus, qui in quodam suo non tam consilio, quàm convitio adeò petulanter in Cæsares debacchatur, ut omnem eorum autoritatem radicitus evellere studeat, quos non modo *Oldradi impudentis, in Cæsares debacchantis.*

Regibus,

Regibus, sed vel plebeis magistratibus postponere audet: quo quidem nomine arguitur & Imperij calumniator impudens, & de sede Apostolica non benemeritus. Quum enim Imperator sit defensor libertatis, propulsator injuriarum, publicè, privatim, moderator, pater, custos vnus: Oldradus mortalium omnium nequissimus est repertus, qui defensorem libertatis, propulsatorem injuriarum, moderatorem, patrem, custodem, proscindere & suggillare non est veritus: qui dum in humanis ageret, ut publicus parricida, ut maiestatis reus culeo erat insuendus: & nunc vita functus, perpetuo ac inextinguibili furiarum igne, proculdubio exuritur, in æternumque exuretur.

CAPUT XX.

Rationes efficacissimæ, quibus convincitur ex Coronatione nihil novi juris Cæsaribus accedere.

SEd ut in viam redeam, uno simul ore, parique consensu, omnes legum interpretes statuunt, hæc quæ ad Coronationem attinent, fieri magis honoris & officij causa, quàm vel necessariò, vel ut ex hac actione quicquam Cæsaribus accedat. In quovis enim ferè actionum genere, quædam exiguntur ad rei (ut nunc loquimur) quiditatem substantiamque, quædam verò ad solennitatem: quæ quidem distinctio ad id de quo agimus, ad amussim accommodatur: siquidem electio solum ad Imperatoris substantiam pertinet, ad sollennitatem reliqua, ut confirmatio, inunctio, consecratio, coronatio. d. c. venerabilem. de elect. d. Clemen. i. de jurejur. At Imperator quo ad ea quæ solennitatis sunt, perinde atque Pontifex solutus est legibus. l. digna vox. c. de legi. Unde efficitur ad

Sola electio ad substantiam Imp. pertinet, reliqua ad solennitatem.

tur ad jus Imperij cumulatissimè assequendum solam electionem, quæ substantiæ locum obtinet, per se sufficere. Hæc traditio quia vera est, quadrat ubique, & tota sibi constat. Et si qua fortè repugnare videntur, facilè vel ex hoc capite dilui possunt: quod erubescendum est illi, qui super his, quæ lege aguntur, sine lege loqui audet. in authen. de trien. & semis. §. consideremus. colla. iij. l. illam. c. de colla. Nulla autem lege cavetur Imperatorem designatum esse confirmandum: nam c. Venerab. de elect. quod adversarij tanquam telum acerrimum in nos contorquent, ne verbum quidem unum de confirmatione facit. Recognoscite quæso mecum dicta Inno. in eo. c. *Ius*, inquit, *& autoritas examinandi personam electam in Regem, & promovendum in Imperatorem, ad nos spectat, qui eum inungamus, consecremus, & coronemus.* Si quis hæc accuratius rimari voluerit, manifestè deprehendet, ea cuncta Imperatori designato licere, quæ electus confirmatus ante consecrationem assequitur, & constat illi omnia licere, quæ sunt jurisdictionis. c. nostri. c. transmissa, de electio. Quid quod nullo in loco cautum reperitur, Ecclesiam tanslationis tempore ejusmodi legem Imperio præscripsisse? Sed nec video cur quippiam super ea re potuerit sancire: jurave Imperij labefactare. Nec illud officit, quod ante Coronationem appelletur *Rex Romanorum*, & perinde nequeat usurpare Imperij nomen, gubernaculáve: quandoquidem hæ duæ voculæ *Rex Romanorum*, *& Imperator*, idem omninò valent, & synonymæ sunt, ut liquido constat ex verbis d. l. benè à Zenone & c. ut nemo privatus. l. i. in utraque scribitur promiscuè, & *Imperialis maiestas: & Regale culmen.* Immo adversarij, qui sacra prosanis commiscent, ut nos è gradu deiiciant, argumentorum inopia eò confugere coguntur, ut plæraque proferant, quæ in rem nostram maximè faciunt. Nam si post

Electus in Imp. ante coronationem Rex Ro. appellatur.

electionem vocatur *Rex Romanorum*, hoc certè juris habet, ut regat. ff. de verbo. signi. l. Tugurij. id igitur poterit, quod Imperator, hoc est quod scribitur l. i. ff de offi. præf. præto. regimentis Reipub. in Principem translatis: simul enim atque Germanorum suffragijs est designatus, efficitur verus, & legitimus Imperator, & inde incipiunt Imperij anni fluere: ut in authen. ut præpo. no. Impe. § i. col. i *prima*, inquit, *die qua Deus nos Romanorum præposuit rebus*, atque eodem temporis vestigio potest quæcunque sunt potestatis Imperialis implere: ut est tex. & ibi. Bald. in. i. consti-tu. Sed quamvis ex unctione, consecratione, Coronatione nihil Cæsareis rebus accedat, non hæc tamen, aut ut levia parvipendi, aut ut superflua reijci debent: cum eam vim habeant, ut Sancti spiritus munera conferant, augeaturque interius, quod exterius unctio præsignat, ut Hostieus. de sacra unct. c. i. & lxv. dist c. i. At Innocen. in d. c. venerabilem, affirmat hoc solenne infularum imprimis duo præstare: Vnum, ut ex Rege Imperator efficiatur. Clemen. i. de jure-juran. glo. l. ex eo. ff. de testamen. mili. Alterum, ut divini spiritus illapsu sanctior, atque augustior evadat: vt glos. d. c. Venerabilem. Lege autem veteri quatuor rerum genera inungi solita esse (autor est divus Tho.) Reges scilicet, sacerdotes, prophetæ, & vasa templi. Nec vnctio Regum est sacramentum, & ideo diversum in modum, prout cuique provinciæ sua est consuetudo, fieri potest, vel oleo in scapulis, vel Chrismate in capite, ut idem Thom. iv. distin xxxiii. Tradit Hostien. de sacra vnctione. in c. i. & de privileg. in c. antiqua. Imperatorem inungi oleo in capite à Pontifice, ut Saul inunctus est à Samuele, & Salomon à Zedech & Nathan prophetis: item alij Reges ab alijs. Sed David ter inunctus perhibetur in Regem, in signum triplicis victoriæ: ut eleganter tradit divus Thomas super psalmum vigesimumsextum.

Vnctio, Consecratio, & Coronatio ad quid prosint.

Quatuor rerum genera antiquitus inungi solebant.

David ter unctus.

CAP.

CAPUT XXI.

Nihil admodum referre Romæne aurea Corona, an alio quovis in loco accipiatur.

EX his, quæ hactenus disseruimus, non tam conjectari, quàm intueri licet, hæc infularum insignia ubivis locorum, ut Cæsari Pontificique libuerit, conferri posse. Nam & si locus huic muneri obeundo sit in Vrbe Roma constitutus: Clem. Romani. de jureju. & d. c. Venerabilem. si alibi tamen peragatur, nec robur amittit, nec ei quod legitimè obsit, quicquam obijci potest. In hanc sententiam universi ferè legum atque etiam canonum interpretes manibus, pedibusque transeunt: inter quos Inno. in d. c. Venerabilem. Bal. & Albe in d. l. bene à Zenone. Guil ac Ioan. And. in d. Clem. i. de jureiu. qui omnes velut publico edicto decernunt Imperatorem, licet Romæ videatur coronandus, alio tamen in loco posse hoc munere fungi: quia locus (ut usitatis commentariorum verbis hac quoque in parte vtar) non est de substantia, nec de forma actus, sed modus tantum. c. si. de rest. spo. Idem approbant Lau. & Card. in Cle. tam. sæpè repetita, cujus verba hic adieci. *Licet super altari in ecclesia sancti Petri Imperator consecretur, & coronetur & iuret, tamen hoc non est de substantia, quin possint hæc alibi fieri.* Idem sentit Albe. in suo indice, verbo corona. Vbi ait Imperatorem triplicem coronam recipere, primam argenteam in Alemania, ferream in Modoëtia comitatus Mediolani, & auream in diversis locis. Quod si quem parum moverint tot jurisconsultorum suffragia, ille his saltem argumentationibus acquiescat: ad Coronationis munus absolvendum triplici opus *Triplex Corona Imp.*

 est coro-

est corona: diversis in locis, certo modo ordineque capessenda: ut glo. in. d. Cle. i. Sed olim Imperator primo coronabatur ferrea, deinde argenten, postremo aurea Corona: ut glo. d. Clem. & Albe. in suo indice. postea ordine immutato argenteæ primus locus erat, & modo hæc, modo illa, ut casus tulerat, promiscue, & sine delectu exhibebatur: ut idem Cardi. in eadem Cle. unde efficitur, ut qua lege hic ritus aliquando immutatus est, quo ad ordinem & genus Coronarum, eadem quo ad locum immutari possit: & quum ratio diversitatis nulla sit, de vtroque idem est sentiendum. l. à Titio. ff. de verb. ob. Ad hæc (ut scribit glossator in d. Cle. i.) quamvis ex veteri instituto secunda Corona sit exhibenda in oppido Modoëtiensi, tamen sæpè tradita est Mediolani in Aede divi Ambrosij, nec eam ob causam coronatio fuit irrita: ut glo. exemplum affert in Henrico Imperatore. Idem igitur de tertia est sentiendum, quæ Bononiæ vel Perusij data, nec detrimentum affert, nec minus roboris habet: quum ratio nulla sit, cur observatio hæc potius in una, quàm alia possit variari. Non inficias eo a recentioribus reprehendi gl. in d. Cle. & quo ad locum, & quo ad genus coronarum: negat enim alibi quam Mediolani, & ante Aram divi Ambrosii, secundam Coronam vnquam fuisse susceptam, eamque esse ferream: sed quæ in Germania exhibetur, auream esse. Cæterum tam glo. quam interpretes hac in parte allucinantur: quum per tot annorum curricula Mediolanensis illa ex usu fuerit sublata: licet, ut aliquid antiquitatis vestigium extaret, eam Pontifices Romæ aliquando exhibuerint. At in Germania perinde, ut Romæ corona aurea Imperatorem insigniri, illa scilicet eadem, qua Carolus Magnus primo usus est: ipse ego certissimus sum testis, qui nono ab hinc anno tuæ coronationi Carole V. non solum interfui, sed cum per id tempus

Coronam qua Imp. in Germania exhibetur esse auream non argenteam. Caroli V. coronatio.

pus apud te Ludovici Pannoniæ Boëmiæque Regis oratorem agerem, ad quem jus eligendi ſpectabat, etiam præfui. Verum ut eò revertar, vnde aberravit oratio, Si ad ſolennitatem coronationis triplex exigitur corona, una non magis omitti poteſt quàm alia, quum ſolennitas, & forma dicantur eſſe quid individuum, ut l. hac conſultiſſima. c. qui teſta. fa. poſſ. quod ſi antecedens interimes, totum interimes. Sed aliquando in prioribus coronis, tam quo ad locum, quàm etiam ordinem, ea ſolennitas fuit omiſſa, immò aliquot iam ſeculis Mediolanenſis illa omninò ſublata, nec id obfuit coronationi. Vnde neceſſariò efficitur, ut neque quo ad tertiam omiſſio, præſertim loci, quicquam officere poſſit: & maximè accedente cauſa juſta, & mutuo amborum principum conſenſu: quum alioquin ob utilitatem publicam ſolennitas lege vel moribus præſcripta poſſit omitti: Vel (quod inter omnes convenit) variari: ut ſentit Sali. & alij l. fi. c. de jureju. Adde quod, ut antea diximus, coronatio non eſt neceſſitatis, ſed officij: parumq; admodum commodi affert, ut refert Barto. in d. extrava. ad repri. quapropter non tàm mutari, quàm omninò tolli ſine ulla iactura poteſt, & præcipuè ratione loci: quum locus nullius negotij vel formam vel ſubſtantiam attingat: ſed ad ſolennitatē duntaxat pertinere videatur. Hac in quæſtione nos ſcire oportet, licet ſolenne id ſignificet: quod ſingulis annis fieri ſolet, ut Ceremoniæ ſolennes, & ſolenniorum feſta: Iuriſconſultos tamen vim hujus verbi aliò traduxiſſe: apud quos dicitur ſolenniter fieri, ubi ritus conſuetudoque in contractu, iudicio, alióve negotio adhiberi ſolita, obſervatur. l. ſciendum. ff. de verbo. obli. unde ducta eſt vox *ſolennitas* eodem penè ſignificatu Cle. ſæpè de verbo. ſingni. Et illa eſt duplex: vna gravis, altera levis appellatur. l. manumiſ. ff. de anu. vin. Illa dicitur leviuſcula ſolennimtas, quæ præter- *Solennitas duplex.* *Levis.*

 miſſa,

missa, vel substantiam rei non immutat. l. i. ff. de exerc. act. vel parum admodum detrimenti affert, ut Bar. & Ange. Are. in l. ii. ff. de vulga. & pupil. & huius omissio nulli actioni officere potest, ut l. i. ff. de ve. in spi. Quæ autem dicitur gravis solennitas non nisi à principe tolli aut immutari potest. l. & si nihil. ff. de reg. l. divus. ff. de in integ. resti. ideò etiam si demus ex forma, & gravi solennitate postulari, ut aurea corona Romæ exhibeatur, tamen teste Hosti. in summa de elec. §. quando acta Principis ex carentia formæ, & solennitatis non labefiunt, sicut nec sententia à Principe non sedente, neque in scriptis lata, quamvis utrumque ut sententia subsistat, velut ejus forma, & substantia exigatur, ut c. de senten. ex peri. reci. l. statutis. Nec enim quæ à Pontifice Cæsareve geruntur, ullius formæ solennitatisve indigentia abrogari debent: ut per glo. in c. quando de transla. epi. quæ affirmat Papam (mirum dictu) naturam rerum immutare, substantiam unius rei applicando alii. c. communia de lega. l. ii. atque ex nihilo aliquid facere. c. de rei uxoriæ actio. l. una. nonne igitur ipsius atque etiam Imperatoris potestas latius patebit, quàm ut ullis formularum angustiis coarctetur? Adde quod hæc Coronatio à jure, quod positivum vocant, ortum ducit: cui dubio procul, nec Papa, nec Imperator est alligatus: quum ambo usque adeò jus positivum in potestate habeant. ut illud pro nutu, vel omnino tollere possint. c. proposuit. de concess. præb. quippe cum Deus utrisque leges subjecerit: in auth. de consu. §. fi. col. vi. & legum parentes censeantur l. dubitandum. in authen. de incest. nup. Nihil est igitur mirum, si hæc coronandi institutio, tam quo ad ordinem, quàm quo ad locum plerumque aliter immutata fuerit. Præterea cum sacerdotium, & imperium eadem ex origine defluant, parique jure censeantur: quicquid in unius celebritate est observatum, ad alterius

Gravis

Papa naturam rei immutat.

terius quoque referri potest. Sed quamvis Vrbs Roma sit locus coronationi Pontificiæ statutus, plerique tamen ex Pontificibus aliis in civitatibus, atque etiam provinciis Corona decorari maluerunt: ut Gregorius x. in Vrbe Viterbi est ea donatus: Celestinus v. Perusii Pontifex designatus, Cardinales Coronæ suscipiendæ causa, usque ad Vrbem Aquilæ accivit: Clemens. v. Perusii pariter factus, extra Italiam Lugduni Coronæ ornamenta suscepit, & alii aliis in locis: quandoquidem, ut vulgò dicitur, *ubi est Papa & Imperator, ibi est Roma, & curia.* c. ego de jurejur. & Abb. in c. fi. de fo. compe Quanti vero illud est faciendum, quod quum ex canonum præscriptione, electio Papæ eo in loco sit celebranda, ubi prior vitam cum morte commutavit. c. ubi periculum de elec. li. vi. Cle. ne Romani, de elec. Tamen si alibi fiat stabilis inconcussaque habetur. Quoniam locus nec in eligendo Pontifice, nec quavis alia in actione (ut concludit Hostien. Goffre. Archi. reliquique canonum Antistites, quos Pet. de Anch. in d. Cle. Romani refert, & sequitur) est de necessitate (ut eorum verbo utar) præcisa: Sed solum ad bene esse. Nihil tamen ambigo, si quis superiorum temporum annales accuratius evolverit, eum facile reperturum, quosdam Imperatores alibi quam Romæ corona aurea fuisse redimitos: sed quum jus finitum sit, prudentes fallere non potest, facti autem interpretatio plerumque etiam prudentes fugit: ut l. in omn. ff. de jur. & fac. igno. Fortè quis mihi objiciat Clementem v. qui Avenioni degebat, jussisse Henricum Lucemburgum Imperatorem designatum Romam coronæ accipiendæ gratia proficisci. Enimvero quisquis illorum temporum historiam expenderit, facile intuebitur, Clementem non id egisse temere, nec absque causa: sed nec quod non æque Avenioni, atque Romæ eum corona donare potuerit. Verum ut tu-

Clem. V. Lugduni coronatus.

multus

multus Italici, qui passim in Hetruria, & agro Piceno exarserant, ejus in Italiam adventu sedarentur. Quod refert Platina in vita ipsius Clementis: *eodem*, inquit, *tempore Henricus Lucemburgus à Germanis Imperator electus, hac quidem lege à Pontifice confirmatur, ut infra biennium coronam Romæ habiturus, Italiam ingrederetur: hoc autem animo id egit Pontifex, ut Imperatoris adventu, motus Italici comprimeretur.* Extremum illud est, quod nullo canone vel lege sancitum puto, ut ordo aliquis tanquam forma, & substantia exigatur, cujus omissio ipsam coronationem labefactet. Demus si placet, ut coronatio sit necessaria, de quo quid maiores nostri senserint, supra retuli: is tamen ordo, qui potius ex commentariorum libris, quàm jure aliquo eruitur, non est necessarius: aut, ut aiunt, de substantia actus: & præsertim ratione loci: tum, quia nullo jure cavetur coronationem alibi quàm Romæ factam robur non obtinere: tum quia nulla in actione locus ut forma substantialis exigitur: Nec ulla lex aut canon super ea coronatione æditus loquitur, aut prohibendo, aut cũ clausula decreti irritantis, aut per verba ablativi absoluti, vel alia verba: quæ de sui natura solent substantiam, formamve indicare: de quibus per juris interpretes .c. cum dilecti. de elect. & in l. i. ff. de lib. & posth. Ergo omissio huius ordinis, locique immutatio non reddit coronationem mancam, nec inanem si modo ab idoneo aliquo, ut pote à Pontifice Maximo, ejúsve legato celebretur: ut d. c. Venerabilem: & d. Clem i. & d. c. Adrianus. Quamvis Imperio nondum de Græcis in Germanos trnaslato coronandi munus ad præfectum Vrbis spectaret: ut sentit Barto. in l. i. ff. si quis testa. lib. esse juss. fue.

CAP.

CAPUT XXII.

De Christianis Imperatoribus, & quid Constantinus ecclesiæ Romanæ contulerit.

TRadit Innoc. æquissimus in afferenda Potificis Imperatorisque potestate vindex, qui velut in Critolai trutina utriusque copias & facultates expendit: Tres Imperio Romano præfuisse, qui de sede Apostolica quam optimè meriti sunt. Constantinum: de quo in.c. Constantinus. xcvi. distinct. deinde Iustinianum sanctissimarum legum promulgatorem. postremò Carolum Magnum: de quo inc. Adrianus. lxiij.distinct. Sed Carolus V. sub cujus ductu, felicibusque auspicijs Christo militamus, tanta est (quod sine ulla adulationis suspitione dictum velim) in sedem Apostolicam pietate, observantiaque: ut tribus his, vel æqualis, vel multo etiam (à verbo absit invidia) superior esse videatur: Cujus munificentia, incredibilique animi magnitudine effectum videmus, ut summus Pontifex à tot fluctibus, vel verius naufragijs ereptus, in pacatissimum quietis portum sit delatus: Atque sedes Apostolica Vrbis Romæ domina, & Regina optimo jure, & sit, & habetur. Quod ne quis minus considerate dictum putet, historiam priscorum Cæsarum paucis attingam. Ex Imperatoribus duo Philippi, pater & filius, omnium primi Christianum nomen acceperunt, anno salutis. ccxc. post quorum infelicem exitum, uterque enim fraude Decij necati sunt, imperavit Decius, maximus Christiani nominis hostis: qui Cornelium urbis Romæ Episcopum varijs cruciatibus crudeliter interemit. Ventum est tandem ad auspicatissima Constantini tempora, qui à Silvestro

Tres Impera. de sede apo. opt. meriti. Constantinus. Iustinianus. Carolus Magnus.

Constantinus.

vestro unà cum filio Crispo salutaris fontis lavacro expiatus, sub sacro sanctæ crucis vexillo hostes penè innumeros superavit. Sub hoc Principe, qui anno Christi. CCC. XXXIX. Imperium obtinuit, Christicolæ prius à Tyrannis oppressi, paulatim respirare cœperunt. Cæterum quæ de illius donatione vulgò feruntur, & magnos alioquin assertores habent nec propugnare, nec oppugnare est animus: quum duo eximij Sedis Roma. Cardines, non minus doctrina, quàm pietate clari Nicolaus Cusanus, & Petrus Aleacensis adeò accurate, copioseque rem omnem explicarunt, ut nihil supra addi posse videatur. At Pius Pontifex sedulus rerum vetustate involutarum indagator, in nobili illo Dialogo, quem ante Pontificatum in Germania edidit, Paleæ scripta de Constantino, ut subditicia & adulterina refellit: invehiturque contra miseros (ut ejus verbo vtar) legistas, qui tantum sudant disputando, an id valuerit, quod nullo vnquam tempore fuit. Nam Laurentium Vallensem missum facio, qui calumniandi potius, quàm veritatis indagandæ studio, in sacram Sedem Apostolicam petulantissimè debacchatur. eos autem ut prius autores sequar, qui procul ab invidia, & metu, rursus à gratia, & amore hæc ex fide retulerunt. Ex quorum monumentis innotuit Constantinum ecclesiam in Vrbe Roma condidisse in hortis Equitij, non longè à Thermis Domitiani: donaque obtulisse patinam argenteam, & cyphos duos, & calicem aureum, aliaque vasa ex auro, argentoque conflata: fundum quoque Cornelianum dedisse dono in agro Sabino: & hortum in Vrbe ad regionem duorum adamantum. Item domum in regione Orphea intra Vrbem. Reliqua de ejus donatione, & lepra, & balneo sanguine puerorum redundante passim decantata, silentio prætereo, ne odium gratuitum mihi comparem.

Donatio Constantini.

CAP.

CAPUT XXIII.

Post mortem Constantini, ad quos Vrbis Romæ principatus devenerit.

EO verò defuncto, ut lege quadam fatali regna, principatusque, quò sublimiùs evehuntur, eò miserabilius ruunt, rebus Romanis paulatim in deterius labantibus: deinde funditus eversis, Vandali, Gotti, Hunni, Alani, Longobardi suo quique tempore Italiam innumeris cladibus, depopulationibusque devastarunt, Vrbe Roma sæpius in prædam versa, aliquando & igne exusta. Nemo tamen barbarorum eam sibi vendicare est ausus: sed velut Vrbem sacrosanctam, & extra alienigenarum commercium positam Cæsarum legibus, magistratibusque regendam omiserunt. Nam cum Vandali, Imperante Valeriano, ex Aphrica profecti, Duce Genserico, Vrbem diripuissent, incendissentque, templis, & sacrarijs spoliatis: decimoquarto post Vrbem captam die cum ingenti captivorum numero in Aphricam redierunt. At Theodoricus Gottorum rex, Italia domita & subacta, Ravennæ regni sui sedem fecit, Roma Imperatorum ditioni relicta. Quibus quidem temporibus, inter Antiochenam Romanamque ecclesiam, de sacrorum & Pontificatus prærogativa, gravissima & diuturna contentio fuit. Sed nec minus postquam Constantinus Bizantium deduxit Coloniam, de ecclesiæ primatu certatum est: quoad Bonifacius III. à Phoca Imperatore obtinuit, magna tamen contentione, ut sedes beati Petri Apostoli, sicut caput omnium est ecclesiarum, ita diceretur & haberetur ab omnibus: quem quidem locum sibi ecclesia Constantinopolitana vendicare conaba-

Contentio inter Antiochenam & Romanam eccle.

Romam fuisse in potesta. & impe. usque ad tempora Phocæ.

conabatur, plerisque affirmantibus, eo loci primam ecclesiæ sedem esse debere, ubi Imperij caput esset. Hactenus, usque ad Phocæ scilicet principatum, urbem Romam in Imperatoris potestate fuisse, ut cætera omittam, argumentum est certissimum, quod Bonifacius IV. cupiens Romæ eo loco ubi Pantheonis templum visebatur (sic nuncupatum, quòd Cybeli matri, & omnibus dijs commune esset) delubrum in honorem intemeratæ Virginis extruere, necesse fuerit ei facultatem ædificandi à Phoca obtinere: adeò Pontifex (Vrbis non tam dominus, quàm inquilinus) omni ditione carebat, vt ne sacellum quidem unum sine Imperatoris iussu ædificare potuerit. Deinde Vrbem Romam diuturna barbarorum incursione vexatam, & tandem Bellissarij, & Narsetis virtute à tot calamitatibus ereptam, Imperatores, qui longissimo ab Italia tractu Byzantij morabantur, per Hexarchum (id enim erat magistratui nomen, qui rebus Italicis præerat) aut legatos quiete tranquilleque regebant. Quoad Lotharius in Italiam veniens magistratum elegit, qui populo Ro. jus diceret. Ex plebe autem Decarchones duodecim creabantur, qui vicem senatus gerebant. Et ne omnium temporum Ephemeridas contexam, novissima complectar: Anno salutis M.CCC.XLVI. Romani sibi magistratum constituerunt consulari potestate, quem Tribunum vocabant, quo tamen brevi abrogato, & ob civiles discordias in exilium ejecto, Senatorem elegerunt, qui velut Dictaturam in Repub. exerceret. Sed eo quoque non longè postea, è magistratu deturbato, Septemviros creant cum summa potestate: quos Reformatores totius Reipub. nominarunt, qui hodie pari quidem nomine, sed dispari potestate rebus Vrbanis præsunt. Anno autem. M.CCC.LXV. Vrbis custodiam, totiusque Reipub. curam Bandaresijs, id est singularum vexilliferis curiarum com-

Hexbarchus. *Decarchones, xij.* *Tribunus.* *Dictator.* *Reformatores.*

commiserunt: hæc capita regionum in hunc usque diem vocant. Ex Pontificibus primus Bonifacius IX. anno Domini M. CCC. Vrbis Romæ dominatum sibi vendicare tentavit, in cujus vita hæc scribit Platina: *Bonifacius Vrbem ingressus, munit a mole Adriani mœnibus, & turribus dominatu urbis sensim potitus est.* Quæ autem scribit Platina in eo lib. quem de vita & moribus Pontificum edidit: velut sacrosancta & Sybillinis foliis veriora sunt existimanda: quippe quum ea ex publicis tabulis & diplomatibus, alijsque legitimis documentis deprompserit, in quibus res gestæ Pontificum eorumque successus, & progressiones, ut quisque domi forisque se habuerit, quo cursu naviculam procellis nunc agitatam, nunc traquillo pelago quietam duxerit, historica fide continetur. At Romani indulgentia Imperatorum libertati assueti, eam è manibus ereptam, ab Innocentio VII. qui in Pontificatu successit, prius blandè appellando, dein quum id parum succederet arreptis armis violenter agendo, extorquere non omiserunt: & ut idem scribit, capto Capitolio, occupatoque ponte Milvio: arcem Adriani oppugnare conati sunt. Paucis post annis, dum Constantiæ concilium ageretur, mortuo Rege Ladislao contra Florentinos proficiscente, Romæ ad arma & libertatem acclamatum est. Quod ipsum contigit Pontificatu Eugenii IV. in cujus vita hæc à Platina traduntur. *Romani ad libertatem aspirantes sublato clamore pulsisq. omnibus Eugenij magistratibus, novos ipsi magistratus crearunt*: Quid illa, quæ sub Nicolao V. contigerunt? cujus manibus Federicus, tuus, Carole Auguste, abavus paternus aurea corona insignitus est: nonne in ejus vita hæc ad verbum leguntur? *Stephanus Porcarius vir majoris animi, quàm potentiæ, multa liberandæ patriæ indicia præseferens, Bononiam à Pontifice relegatur, qui Romam advocantibus conjuratis properè redijt*

Bonifacius IX. primus urbis dominatum sibi vendicare tentavit.

Platinæ autoritas

rediit hac mente, ut quum Vrbem attigisset, sumptis armis, populum ad libertatem convocando, Pontificem & Cardinales caperet. Idem ausi sunt Romani recenti memoria sub Paulo II. in cujus vita verba sunt hæc: *Nonnulli minas ejus contemnentes, tempus vindicandæ libertatis expectabant, quod postea eo mortuo illuxit.*

CAPUT XXIV.

De munificentia & benignitate Caroli Imp. adversus sedem Apost. Italiamq; universam.

HÆc ideo minutatim collegi, ut velut ex altissima quadam specula, pulchrum & inauditum virtutis clementiæque spectaculum cuique oculis intuendum subijcerem, Carolum V. ex Imperatorib. Christianis primum Vrbem Romam unà cum Adriani mole portuque Hostiensi, & oppidis undique circumvicinis in potestatem redactam Sedi Apostolicæ habendam, fruendamque donasse.

Fecisti Carole Auguste quod futura posteritas magis miretur, quam imitetur: qui cum Romanorum Rex sis, & appelleris, omnem Romanæ Vrbis jurisdictionem, à te abdicasti, illud propter virtutem nihilo ducens, pro quo Imperatores reliqui tantopere digladiari solebant. Quod si mihi facultas daretur sermonis pro rerum dignitate figurandi, quàm exquisito dicendi lepôre, & venustate in heroicis, & planè divinis tuis virtutibus explicandis immorarer: quum non tam gloriosum duxeris Imperij fines propagare, quàm pacem ab Italia iampridem exulantem in pristinas sedes, quasi postliminio revocare. Et cujus fuit prudentiæ hostibus omnem nocendi facultatem auferre, ejus fuit humanitatis

manitatis, victos, ac debellatos ob omni injuria, & clade relevare. Hic licuit si vnquam aliâs tuam pietatem magnanimitatemque intueri Nemo fuit ex eorum numero, à quibus neque divino, neque humano more fuerat lacessitus, non modo aliqua pœna mulctatus, sed ne minima quidem ignominia perstrictus: nemo nec loco, nec gradu, nec ordine submotus, manserunt cuique principatus fortunæq; ueomnes integræ & illibatæ. Et quamvis intelligeres, & quid rebus tuis magis expediret, & quid tibi liceret, maluisti tamen opulentissimis Civitatibus carere, quàm pati, ut aliquid de tua clementia pietatéve desideretur.

O tuam Carole non tàm victoriam, quàm clementiam prædicandam: ex qua nescio quid majus, quàm ex victoria es adeptus: illa effecit, ut nemo tibi nocere possit, hæc, ut nemo velit Qui rebus christianæ Reipub. ex animi sententia compositis & constitutis, dextro numine, felicibusque auspicijs ad gloriosam illam & pernecessariam adversus Turchas expeditionem tete accingis. Iamq; augurari mihi licet futurum, ut abolitis ferrei seculi reliquiis, aurea illa ætas sub te brevi renascatur: isque sit futurus Christianæ Reipublicæ status, ut continuandæ potius felicitatis, quàm augendæ cupiditatis vota faciamus. Quæ felicitas an adhuc meæ debeatur ætati, Deus ipse viderit: hac certè spe interim fruar, quicquid Orbis terrarum patet, qua vox olim evangelica permearit, tuo, magnanime Carole, ductu atque auspiçis in Christianam ditionem concessurum.

FINIS.

DE KA-

DE KAROLI V. CAES. AVG. FVTVRIS SVCCESSIBVS VATICINIVM,

HIERONYMI BALBI GVRCENSIS EPISCOPI.

NOx erat, & puro radiabant lumina cœlo,
Roscidaque in bijugis luna nitebat equis.
Cum me nocturnis operantem sacra Camœnis
Curarum domitrix ceperat alta quies.
En Phœbus viridi redimitus tempora lauro,
Est visus nostro limine ferre pedem:
Clara serenato lampas fulgebat ab ore,
Plurimus in toto corpore splendor erat.
Aurea cæsaries longa cervice fluebat,
Hærebant lateri munera grata lyræ.
Pectine qui cytharam simul ac percussit eburno,
Fatidico tales edidit ore sonos:
Heu mihi, quàm vanum est humanis fidere rebus,
Quam vanum est, ullo ponere certa loco!
Cum rotet ambiguo fortuna volubilis orbe,
Quæque valent, fato sæpe jubente ruant.
En tibi Cæsareis celeberrima Roma triumphis,
Protulit in geminos quæ sua sceptra polos,
Septenis vrbs alta iugis, de culmine tanto
Excidit, innumeris exagitata malis.
Hæc Arabes, Medos, gracilesq; coercuit Indos
Teq; sagittifera Parthe superbe fuga.
Paruit huic lapsus septena per ostia Nilus,
Turbidus & rapta factus Oaxis aqua:

Paruit

Paruit & toto divisa Britannia mundo,
Et posita Eoo littore Taprobane.
Vtque altum excrevit, parvis à sedibus orta:
Sic lapsa est imo præcipitata gradu.
Nec licuit duri vitare pericula casus,
Cum ratio fatum vincere nulla queat.
Inde Scythæ, Gothiq; truces, & durus Alanus,
Proxima Riphæo qui colit arva iugo,
Cæde, fugâ, flammâ Latios fregêre Penates:
Ipsaq; ab hostili est Roma perusta face.
Aspice nunc, alijs infestus miles ab oris
Vt ruat in clades Ausonis ora tuas.
Hinc properat latis audax Hispania terris,
Hinc Italos Galli depopulantur opes.
Inde furit densis pubes Germana maniplis:
Hinc eques, inde pedes pronus ad arma ruit.
Appulus & Samus, junctusq; Sabinus Hetrusco,
Sentit vicinis classi a pulsa locis.
Agmina collatis coëunt in prælia turmis,
Aestuat auditâ militis ira tubâ.
Cæde madet tellus, squalent populantibus agri:
Et cremat innocuas hostica turba casas.
Tecta rigent densis veluti vallata sagittis,
Et grave muralis machina pulsat onus.
Vix urbes miseri vallo portaq; tuentur:
Hæc quoq; habent hostes, quoq; vetantur eunt,
Quisq; tamen posito sumat nova gaudia luctu:
Nullaque funestus contrahat ora dolor.
Nam jam læta redit vultu fortuna secundo:
Iam remeat pulsa nube serena dies.
Carolus, in toto Phœnix velut unicus orbe,
Auspicijs revehet prospera fata suis.
Hic caput Imperii repetet, domitusq; Tyrannis
Eximet à turpi colla subacta juga.

H h *Victrices*

Victricesque aquilas Capitoli sede locabit:
Nec nisi Romanum, quod vereamur, erit.
Sed simul ac vincet, victis sua jura remittet
Carolus ut bello, sic pietate prior.
Vincit enim, ut victis ignoscere possit: & illa,
Qua gerit, hac gaudet ponere tela manu.
Patris non domini ritu complectitur omnes,
Qui veniam lapsi supplice voce rogant.
Et quam Marte ferox, domito tam mitis in hoste,
Moribus exæquat clara trophæa suis.
Hoc duce libertas Latium migrabit in orbem:
Paxq; erit, & pacis fida ministra quies.
Candida Pax olea cinget sacra tempora Regum:
Candida pax proceres in sua jura trahet.
Gloria Pontificis, cui dat clementia nomen,
Crescet, & eximium surget in astra decus.
Quæq; procelloso nunc fluctuat æquore puppis,
Ducet inoffensas per via tuta vias.
Ast ubi secura populos in pace locârit,
Qui gemino claudit littus utrumq; mari.
Nil ille in Turcas cessabit Marte feroces,
Sancta salutiferæ ponere signa crucis.
Et cum fratre pio communem raptus in hostem
Delebit populos (nec mora longa) truces.
Qui licet immites æquent feritate Cyclopes,
Et rigida durum Gorgone pectus alant.
Hic tamen (ô facinus, nostriq; ô dedecus ævi)
Cladibus Eoos Hesperiosq; premunt.
Hosq; Syri metuunt, Arabes, & Cares, & Indi,
Atq; Semiramia mœnia structa manu:
Carmaniusq; Cilixq;, & longè cultor Imavi,
Aequa nec hospitibus Taurica terra suis,
Quaq; fluit Ganges, auro qua turbidus Hermus.
Tygris & Eufrates qua loca culta rigant.

Jamque

Jamque Asia domita spoliis Orientis onusti
Europæ in medio bella cruenta gerunt.
Nec Thracas domuisse sat est, Hemumq; nivalem
Fregisse, & vires Græcia docta tuas.
Mœsia victa iacet, iacet ingens Illyris ora,
Flexaq; montanæ bracchia Dalmatiæ.
Pannonii subière iugum, subière Liburni,
Et quos præterea longa referre mora est.
Iamq; iter ad Rhenum, fontemq; binominis Istri
Ense cruentato trux Solimannus agit.
Hocq; magis sitiens, quo plus bibit ille cruoris,
Pascitur è nostris luxuriatq; malis.
Dira quoq; in superos sævorum more Gigantum
Bella gerit, nullum dum putat esse Deum.
Carolus hoc monstrum cœlestis robore clavæ
Sternet, & in Stygias præcipitabit aquas.
Et simul Arctoo Rex Ferdinandus ab axe
Arma geret fratri consocianda suo.
Occidet extincto Mahometica secta furore:
Notus erit toto verus in orbe Deus,
Qua Boream spectat sublimis ab æthere vertex,
Qua tepet adversi mitior aura poli:
Quaq; oriens dat signa dies, qua vespere sero
Lapsus in æquoreas præcipitatur aquas,
Suspicient purâ natum de virgine Christum,
Missaq; de supero Mystica sacra polo.
Tunc belli finis, requiesq; optata malorum:
Tunc nihil infesti quod vereamur erit.
Hæc tibi Phœbus ego, superis delapsus ab oris,
Eventura sono vaticinante cano.
Voce Dei monitus te lux clarissima mundi,
Alloquor, inq; sacros ora resolvo sonos.
O decus Austriacæ, spes & nova gloria gentis,
Proxima qui magno cum Iove regna tenes.

Cuncta tuo pendens à numine machina mundi,
Tota humeris cœpit nunc onus esse tuis.
Tu clarum afflictis lumen mortalibus affers,
Et nitidum toto spargis in orbe iubar.
Tu Senonum strages, & Cymbrica damna rependes:
Tu Totilæ flammas, Vandalicumq; nephas.
Tu Mausolæi redimes piatempla sepulchri,
Sacraq; Barbaricas non benè passa manus.
Turca ferox dabit ora tuo nectenda capistro,
Atq; Borysthenio Tartarus orbe nocens.
Insignemq; feres superato ex hoste triumphum,
Quæ ritu veteres instituistis aui.
Qualis ab edomita victor Tyrinthius hydra,
Qualis & Eoo Bacchus ab orbe tulit.
Alta triumphali scandes Capitolia curru,
Quatuor in niueis conspiciendus equis.
Ferdinandus ovans, curru sublimis eodem.
Frondenti lauro tempora vincta geret.
Præcedent diris onerati colla cathenis,
Sanguineas vincti post sua terga manus,
Qui scelerata colunt Mahometæ sacra nephandi,
Profalsisque gerunt bella pudenda Deis:
Præcipuè Turcæ, domita ceruice ferentes
Vincula, qui nostris gentibus horror erant.
Fercula ducentur celebri solennia pompa,
Cum titulisque legent oppida capta tuis.
Fluminaquè & veros simulachra imitantia mores,
Armaque per cumulos telaq; iuncta suos.
Ornabis sacras spoliis hostilibus ædes.
Virtutique feres tot monumenta tuæ.
Curia gaudebit patribus stipata verendis:
Plebs, eques ore, manu, prospera signa dabunt:
Et lætum Pæana canent: duo fulmina belli
Austriades, superis regna secunda tenent.

At tuus

At tuus argento chlamydem contectus & auro
Miles Io, magnâ voce Triumphe canet.
Dicite, Io felix, Pylios dominetur in annos
Carolus, & nostro semper in ore sonet.
Dicite, Io faustos quibus hoc sub Principe nasci
Contigit, & tanto numine posse frui.
Dicite, Io, longum Rex Ferdinandus in ævum
Floreat, & fratri proxima sceptra ferat.
Austriacosque Duces solitis circumvolet alis
Gloria, quæ Solis lustret utramque domum.
Ipse pio cultu solennes pronus ad aras
Propitio reddes debita vota Deo.
Costum molle fluet, passim spargetur Amomum.
Et quæ sepositus munera mittit Arabs.
Ast ubi jam manibus purgatum sanxeris orbem,
Clauseris & firmâ bellica templa serâ:
Prisca renascentur meliori templa metallo,
Et senio posito jam novus orbis erit.
Sic renovat veteres ales Gangetica nidos,
Quæ perit, ut vivat morte secunda sua.
Iustitia æthereas tandem delapsa per auras,
Pollutam nulla labe revisit opem.
Insiliet stricto nusquam sicarius ense,
Prædo nec innocuas quæret avarus opes.
Non struet insidias fido delator amico,
Præda nec ullius plena cruoris erit.
Captator fumos populo non vendet inanes,
Credula quem foveat simplicis aula duci.
Nullus in adversos tendet sua brachia fluctus
Cum liceat facili currere cuiquè viâ.
Hæc ego Pieria referam securus in umbra,
Sit licet exiguo parvus in ore sonus.
Sed tamen ingenii quidquid de paupere vena
Fluxerit, id votis serviet omne tuis

Dum sol volvetur rapido contrarius orbi,
Lunaque fraternis obvia fiet equis.
Te super astra vehet sublimi gloria penna:
Tantus inest Musis carminibusque vigor.
Carmina non metuunt cariosæ damna senectæ:
Illa licet rapido gutture cuncta voret.
Quod mihi si placida facilis Deus annuet aura,
Hos repetam cantus uberiore lyra.
Lætarum interea mea sit prænuncia rerum
Musa, per æthereas cardine lapsa vias.
Alitibusque bonis venientia fata renarret,
Quæ tibi de niveo vellere Parca trahit.
At tu Phœbe pater certis qui legibus ævi
Quæ sunt, quæ fuerant, quæq; futura, canis:
Ista tuo monitu cum sum ventura locutus,
Adjice carminibus pondera digna meis.
Nilque sit in terris occasu solis ad ortum,
Quod non Austriadum sub ditione fluat:
Sic fore vaticinor, moneoque, favete monenti,
Utque hæc sint stabili credita verba fide,
Præscia signa ferat, venturique omina fati,
Proximus auroræ vectus ab axe dies.

FINIS.

RERUM PRÆCIPUARUM INDEX:

In quo numeri absoluti Lupoldum, B. Balbum, N. verò notas Freheri in Lupoldum designant.

A

Acclamationes Imperatoriæ vim electionis habebant. N. 40. & 108.
Advocati Ecclesiarum. 83. 92. N. 83.
Appellatio ad Curiam Romanam extrahendæ litis & vexandi adversarii causa 147. N. ibid.
AquæGrani caræ Carolo Magno N. 27.
Argentinensium insignium quis color, & unde N. 9.

B

Balduini Archiepiscopi Trevirensis laus. 1. 2. N. ibid.
Barbarus Romano homini oppositus, & quis uterque. N. 11.
Belgica prima & secunda quæ. N. 3.
Berengarius Rex Italiæ. 19. & seqq.
Besants d'or Unde. N. 42.
Byzantini, numorum genus. N. 42.

C

Canonum inconstantia B. 190.
C. *Venerabilem de Elect.* qua occasione scriptum N. 100.
Cardinalis protector imperii Romani. N. 142.
Cardinales cur ex Germanis eligi non soleant. N. 142.
Carlinga olim dicta Frãcia. 78. N. ibid.
Carolus Magnus fit Patricius Romanus 14. Creatur imperator Rom. 15. Irenes conjugium petit. 51. an Italiam & alias provincias per bella licitè acquisiverit 168. & seqq. & Otto, verè magni & virtute pares N. 37. 70.
Caroli Magni Virtutes. 49. Regna & posteritas 53. & seq. patria. N. 26. ditiones. 14. N. 13.
Carolum Magnum fuisse Germanum. 26.
Caroli V. Imp. in sedem Apostolicam benignitas. B. 236.
Castenvögte. N: 83.
Chilpericus hülffreich. N. 35.
Constantinopolitanæ civitatis insigne. N. 88.
Constantini donatio. N. 46. B. 232. an valida. 136 & seqq. Ejus figmenti verus autor proditur. N. 136. 137.
Consuetudo immemorialis. 149.
Coronam auream Romæ an alibi accipiat Imperator nihil interest. B. 225. & seqq.
Coronare Reges mos omnium gentium. N, 183.
Coronatio Regum, Pontificis, Imperatoris unde B. 182.
Coronatio Regalis Aquisgrani, & Modoëtiæ quam vim habeat 102. & seqq.
Coronatio & unctio Imperialis per Papam consuetudine introducta olim nulla. 163. N. ibid. Quid conferat Imperatori, & quam vim habeat. 109. 157. nihil potestatis aut novi juris imperatori confert 52. & seqq. 68. & seqq. 83. N. ibid. B. 222.
Cusani Cardinalis error. 37.

D.

D.

Dei gratia titulis imperatoriis cur adscriptum N.88.

E.

Electio Imperatoris an pertineat ad Electores ut singulares personas, an ut ad collegium 66.N:65.sola an absolutum imperandi jus tribuat.B. 215. Concors statim tribuit jus imperii administrandi. 52. Imò etiam discors, modo majoris partis. 64. nec opus assensu Papæ. 79. & seqq.

Electoralis dignitas an à Papa Germanis Principibus tributa. 117. N. 111.

Electionum imperialium decreta qualia Roma missam. 86. id olim non factum. N. 85.

Electores Imperii quando instituti. 22. N. 22. & seqq. Ad Rhenum quatuor. 34.

Episcopi qui quos Reges coronent. N. 83. à Regibus confirmati. N. 132. 142.

Eusebii chronica quæ sit Lupoldo. N. 6.

Examinatio electi Regis Rom per Papam quam vim habeat. 94.

Exercitus facit imperatorem 55. N. ibid.

F

Francia duplex. 78.

Franciæ orientalis ducatus unde. 53.

Franciæ Rex quis hodie. 75. & seqq. exemptus ab imperio. 75. N. ibid.

Franconia. 30.

Franci qui. B. 212. unde dicti. 7. Not. ibid. Romanis animositate comparati. N. 31.

Franci & Francigenæ ut differant. 29.

Francorum chronica Lupoldo quæ. N. 20. & seq.

Francorum regni initia. 6.

Francorum regni divisio post Carolum Magnum. 15.

Francorum regni in Germania origo. 33. N. 34.

Francorum in regno an quid potestatis habeat Papa. 126. & seqq.

Frontag dies solis. N. 28.

G.

Germania regnum per se. 59. N. ibid. à Regibus Italiæ non subjugata. 61. olim tamen non agnoscebat imperium Romæ. N. 61.

Germaniæ & Galliæ regnorum divisio. 17.

Germanorum veterum nomina propria quædam exposita. N. 35.

Gladius uterque penes Papam. B. 188.

Gothorum Reges Romæ N. 42.

Græcorum ab Ecclesia Romana discessus. 46.

H.

Hæreseos ob crimen an Imperator à Papa deponi possit. 98. 100. N. ibid.

Henckini dicti Rhenenses. N. 33.

Henricus I. Rex Germaniæ. 20. N. ibid.

Henricus VIII. jurium imperii Zelator. 1. N. 4 & 93.

Herbipolitani Præsulis insignia quo colore, & cur. N. 9.

Hildericus fit Rex Francorum, & an jure. 127. 165.

Hieronymi locus notabilis. N. 32.

Historica probatio quando valeat. 52. N. ibid.

Imaginum violatarum prætextu Pontifices Imperatoris obedientiam exuunt. 47. N. ibid. Venerationem improbat Carolus Magnus Imp. N. 48.
Imperator advocatus Ecclesiæ. 92. N. ibid. an Dominus mundi. N. 150. B. 194. an Pontifice præstantior B. 200. & seqq. cur à Pontifice, contra quam olim, confirmetur. B. 209. & seqq.
Imperatoris potestas duplex. 70. depositio quomodo Papæ competat. 124. depositio tantum ad principes Electores pertinet. N. 125.
Imperatores à Papa depositi. N. 125. de Sede Apostolicâ benè meriti. B. 131.
Imperium Rom. pòst Othonem II. fit successivum. 22. immediatè à Deo. 88. N. ibid. nec. est feudum Papæ. N. 91. translatum à Græcis ad Reges Francorum. 14. an immediatè sit à Deo, an verò à Pontifice. B. 184. & seqq. quale fuerit olim, & quomodo delatum. B 207. à Græcis ad quos translatum B. 212. potiùs à populo Rom. quàm Papâ in Carolum translatum. 122. N. ibid. de Græcis ad Francos Germanos in persona Caroli Magni translatum 25. cùm à violentiâ cœperit, quomodo dicatur esse à Deo. 195.
Imperii translationis à Græcis in Carolum Magnum an & quis fuerit effectus 41. quæ, causæ 46. translatio non à Papâ, sed à Populo Rom. robur habuit 122.
Inter Imperium & Franciæ regnum conjunctio. N. 75.
Ingelheim, patria (fortè) Caroli Magni 27. N. ibid.
Insignia præcipuarum ad Rhenum civitatum quo colore, & unde. N. 9.
Interregni incommoda. 147. N. ibid.
Italia à fidelitate regni Germaniæ deficit. 19. 36. est accessorium Imperii Germanici. 61. Not. ibid. & 68.
Juramentum Regis Rom. Papæ præstitum, non est homagii, sed defensionis. 88. N. 92.

K.

Karil & Karle. N. 26.
Kastenvögte. N. 83.
Kerlingen, olim dicta Francia Occident. N. 78.

L.

Libanius notatus N. 8.
Lothariense regnum. 63. N. ibid.
Lotharingia unde dicta. 17. dupliciter sumpta. N. 63.
Ludovici Imp. Bavar. constitutio de juribus Imperii, contra Papam. B 220.
Lupoldus quibus authoribus usus. N. 6

M.

Major pars concludit. 67.
Majorum Domûs in regno Galliæ potentia. 128. N. ibid.
Manburnie. N. 83.
Mensium nomina Germanica unde. 27. N. ibid.
Meroveus Rex Francor. 13. unde sic dictus. N. 128.
Merovingi. 128.
Modoetia civitas. N. 104.
Mœotide palude orti Franci. 7. unde orta hæc fabella. N. 8.

Moguntini Electoris prærogativa unde. N. 129.
Mundeburdium quid N. 83.

N.

Nobilitas Francorum Rhenaña. 31. 32.
Nominatio Imperatoris per Papam, an necessaria. 112. & seqq.

O.

Oldradus in Cæsares injurius. B. 221.
Oppidorum cadavera. N. 30.
Otho Magnus, Carolo Magno comparatus. N. Ejus titulus N. 57. & 70. 59. N. ibid.

P.

Pallium â Pontifice datum. 121. N. ibid.
Patriciatus Romæ quid sit. 142. N. ibid.
Petrus de Caligâ, quâ occasione factus sit Maguntinensis Archiepiscopus, N. 2.
Petri de Ancha. laus. B. 187.
Phocas Imp. an autor primatûs Ecclesiæ Rom. 46.
Phracti Libanio qui N. 8.
Pipinus quomodo factus Rex Galliæ. 127.
Pontifex an Imperatore præstantior. B. 200.
Pontificis Rom. primatus. 62. N. ibid. potestas in Imperium nulla. N. 87. approbatione, an electus Imperator opus habeat. 79. & seqq. 111.
Pontifici licere belligerare B. 189.
Pontificatus quomodo olim delatus, & quæ Imperatorum eâ in re fuerit autoritas. B. 208.
Populi Rom. potestas in Imp. 166.
Prælati, ratione regalium, Imperatori subjiciuntur, N. 90.
Privilegium, pravilegium. N. 134.

R.

Reinsse. 67. N. ibid.
Rex Romanorum cur ita dicatur. 61. habet eandem potestatem, quam Imperator. 106. 68. N. ibid.
Reges simpliciter dicti, Reges Rom. 58. N. ibid. per contemptum appellati â Græcis Imperatores nostri. N. 58. Occidentales an subsint Imperatori. 150. N. ibid.
Regum insignia. B. 181. Romanorum submissiones & recognitiones Pontifici facto non præjudicant Imperio in suis juribus. 144.
Rheinische gulden. N. 34.
Rhenus nobilis. N. 33.
Rheni & Rhenenses. N. 32.
Ripuaria lex N. 28.
Romæ urbis dignitas. N. 62.
Romanæ Ecclesiæ primatus unde. 46.

S.

Salica lex. N 28. quæ & unde dicta, 9. N. ibid.
Siciliæ regnum, feudum Ecclesiæ. 143. N. ibid.
Succedens in locum, succedit in jus 56. N. 72.

T.

Treveris, Galliæ Belgicæ accensetur. N. 3. eversa. N. 11.
Trevirensis Antistitis primatus inter Ecclesias Galliarum. 1. N. 3.
Triburium. 29. N. ibid.
â Trojæ excidio petita origo *Francorum* 6. N. ibid.

V.

V.

Vectigalia quæ licita 74.
Ventorum nomina Germanica unde. 27.n.ibid.
Vnctio & coronatio Papæ, nihil potestatis Imperatori confert. 68. & seqq. 52. 83. N. ibid. quam vim habeat, & quid conferat Imperatori. 109. 157. & seqq. consuetudine introducta, olim nulla. 163. N. ibid.
Vnctionis regalis origo & finis. 103 seq. N. ibid.

FINIS.

In Nomine Jesu Christi!

Discussio Historico-Juridica

VOTI SEPTEMVI-RALIS GRAVISSIMI,

Quod

Post obitum Maximiliani I. Imp. in Comitiis Electoralibus pro Carolo Austriaco Rege Hispaniarum, contra Franciscum Galliarum Regem dixit

ALBERTUS CARDINALIS ARCHIEPISCOPUS MOGUNTINUS,

à Johanne Sleidano consignati.

Quam cum Decade *Dogmatum politicorum inde pullulantium*

SUB PRÆSIDIO

DN. BENEDICTI CARPZOV. J. U. D.

Consiliarii Electoralis Saxonici, & Facultatis Juridicæ Ordinarii

publicæ disquisitioni subjicit

Hanß Jacob Pantzer Lips.

ad diem VI. Junii

In Auditorio JCtorum Petrino *horis consvetis*,

Lipsiæ
Sumptibus Viduæ Andreæ Kuhnens.

Typis Hæredum Timoth. Hönli,
ANNO 1650.

IN NOMINE JESU CHRISTI.

Discussio Historico-Juridica

VOTI SEPTEMVIRALIS GRAVISSIMI,

Quod

Post obitum Maximiliani I. Imp. in Comitiis Electoralibus pro Carolo Austriaco, Rege Hispaniarum, contra Franciscum Regem Galliarum dixit

Albertus Cardinalis, Archiepiscopus Moguntinus. à Job. Sleidano consignati.

POSITIO I.

QVàm malè habuerit Respublica Germanorum, qvot periculis, qvotqve miseriis fuerit obnoxia, cùm Maximilianus I. Imperator à Comitiis Augustanis in Austriam rediens, in itinere Lintii die XI. Januar. Ann. M. D. XIX. rebus humanis exemptus esset, ex monumentis Historicorum, Joh. Sleidan. *de stat. Relig. lib. 1.* Francisci Guicciardini *lib. 13.* Jacob. Aug. Thuan. *lib. 1. hist.* satis manifestum.
† Vix enim respiraverat Germania à bellis gravissimis cum Carolo Francorum Rege; Suitensibus, anno salutis nonagesimo nono post mille qvadringentos; cum Ruperto Palatino Rheni, anno millesimo qvingentesimo qvarto; Hungaris, sexto post mille qvingentos; & cum Venetis, octavo post mille qvingentos, non sine ancipite fortunâ gestis, Joh. Cuspinian. *in vitâ Maximil.* 2.
† qvin oppidò novis implicaretur calamitatibus, graviusq; subiret infortunium ab exteris Regibus, qvi mortuô Cæsare, qvasi custode pacis publicæ à statione remotô, in tantâ occasione rei benè gerendæ non cessandum sibi esse ducebant; 3.
† Alibi Gallus Mediolanum tenens & clarissimâ victoriâ contra Helvetios elatus, repentè novas res moliri cœperat; Alibi Selymus Turcorum 4.

Impera-

Imperator in Ægypto & Syriâ pacato regno, magnâ felicitate adjiciebat animum ad Pannonias occupandas, eamq; in rem omni ſtudio ac curâ incumbebat; Alibi diſcordia in religione graviſſimos videbatur excitatura motus, Sleid. *dict. lib. 1.* Georg. Sa-
5. bin. *de elect. Caroli V. Imp.* † ut vix ullus Nationis germanicæ angulus tranqvillam ſibi poterat polliceri ſecuritatem, jam antea Imperiô iis ſubjectô periculis, qvæ ex interregno Rebuspublicis vulgò ſunt pertimeſcenda, ſi non imprudentiæ arguamus Livi-
6. am, † qvòd Auguſtó exſpirante, acribus cuſtodiis domum & vias ſepſerit, lætosq; interdum nuncios ſimulaverit, donec proviſis, qvæ tempus monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum po-
7. tiri Neronem, eadem tuliſſet fama, Tacit. *1. annal.* † Sed & hanc alia paulò poſt excepit calamitas, & qvidem peſtis inopinata, tàm ſæva, tàm crudelis, tàm ſtupenda, ut frumenta in agris manſerint non ſecta, & à nemine collecta, nec arcem ullam, nullum caſtrum, nullum oppidum, villam & vicum absq; labe reliqverit, qvâ tertia pars hominum in Auſtriâ putabatur ſublata, referente Cuspin. *dicto loco.*

II.

8. Et ne qvidqvam † ſpei de recuperandâ Germaniæ tranqvillitate per electionem novi Imperatoris relinqveretur, ambiguam fecerunt illam ac longè difficilimam germanici regiminis Candidati, faſces Imperii affectantes, Carolus nempe Auſtriacus, qvi ante annum tertium Hiſpaniæ Regi Ferdinando avo materno ſucceſſerat, & Franciſcus Galliæ Rex, qvi ante annum qvartum, devictis Helvetiis, ad marignanum Mediolanenſem
9. Principatum tenebat, Sleid. *dict. lib. 1. pag. 19.* † Utq; feliciter cederet hoc negotium, per certos ac fideles ad hoc deputatos Commiſſarios atq; Legatos, cum Electoribus Imperii agendum exiſtimabant; qvam ob rem Carolus ablegaverat Matthæum S Angeli, ſacræ Romanæ Eccleſiæ Diaconum & Cardinalem Gurcenſem: Fridericum, Comitem Palatinum & Ducem Bavariæ: Caſimirum, Marchionem de Brandenburg: Erhardum, Epiſcopum Leodienſem, Ducem de Bullon ac Comitem de Los: Bernhardum, Epiſcopum Tridentinum: Henricum, Comitem de Naſſaw, & unà cum iis Cammerarios, Conſiliarios & Oratores, Maximilianum de

Berges

Berges, Dominum de Stuernberg, Eqvitē aurei velleris: Burchardum de Plana, Dominum de Larocha: Cyprianum de Seretin, Cancellarium Tirolensem: Paulum de Arnsdorff, Commendatorem Ordinis S. Jacobi de Spata: Jacobum Villinerum: Nicolaum Ziglerum: & Joannem Rennen, mandatô ipsis exhibitô plenissimô *sub dato in civitate Borchinonâ die I I X. Mensis Maij. Anni* M.D. XIX. † cujus tenorem refert Melch. Goldast. Haiminsfeld *in polit. Imper. part. 1. tract. 6. sub Rubr. Mandatum procuratorium Commissariorum Regis Hispaniæ, Archiducis Austriæ, ad Principes Electores. pag. 119.* Nec minorem præ se ferebant autoritatem ac splendorem † Ambasiatores Gallici, numerô qvantumvis pauciores: Jan Dalbret Comes Drocarum, Dominus aureæ Vallis; Gulielmus Gouffier, Franciæ Admiraldus, ambo eqvites aurati ordinis gallici: & Carolus Guillart, Præses Senatûs Parisiensis, à Francisco Franciæ Rege missi itidem cum mandato expresso ac perfectâ instructione, † cujus mentionem faciunt literæ Regiæ, Senatui Francofordensi exhibitæ *sub dato in arce S. Germain in Laijr, die XXVII. Maij ejusdem anni.* apud Gold. *dict. tract. 6. pag. 107.* Utraq; legatio sat splendida; per qvam † uterq; suâ autoritate Septemvirûm animos ad se allicere fuit adnixus, & qvidem, ut Gallus jactabat, modestè ac sine alterius injuriâ & despectu ad exemplum, qvod aliqvando in duobus eximiæ alicujus puellæ amore captis juvenibus cernere licet, qvi etsi eandem ament, & uterq; illorum omni arte & industriâ, qvantum potest, adhibitâ, eâ potiri nititur, non tamen propterea metuendum inter eos est dissidium, Franc. Guicciard. *dict. lib. 13. Histor. pag. 283.* † at tandem rigorosè nimis, postqvam Carolus Austriacus tàm certam Coronæ Imperialis adipiscendæ spem fovebat, ut si res aliter cederet, se armis opportunô tempore paratis terrorem iis incussurum, minabatur, Guicciard. *pag. 284.* eâq; persvasione inductus, de sui electione nondum certior factus, † decretum super eam petendi & exigendi, petitumq; & obtentum acceptandi, & super accepto in animam suam juramentum Romanorum Regi electo injunctum præstandi, facultatem Legatis tribuere haud veritus fuit, veluti ex *mandato procuratorio suprà allegato* elucescit. † Minori spe non patiebatur se detineri Rex Franciæ, receptio-

10. 11. 12. 13. 14. 15. 16.

 nem

nem ſuorum Oratorum cum famulitio & comitatu usq; ad numerum trecentorum vel circiter eqvitum à Senatu Francofurdenſi in civitatem ſuam efflagitans, qvò vel majori autoritate, vel ſucceſſu feliciori coràm ipſis Electoribus cauſam ſibi com-
17. miſſam proponere, iisq; firmiter inculcare qvirent; † qvi nec ſibi temperare potuerunt, parili ſpe multùm elati, qvin Francofurdenſes, qvi Lege Carolinâ petito deferre, certâ ſibi mulctâ prohibitum reſponſabant, incivilitatis arguerent apud Septemviros, *Literis ex Confluentiâ XII X. die Menſis Junii Anno M.D.XIX. ad eos transmiſſis*, eandem qvidem urgentes receptionem in Franckfordi-
18. am, ſed † eandem qvoq; repulſam ferentes, cùm nec illis competeret facultas recedendi à prædictâ Lege Imperiali, ne qviſpiam cujuscunq; dignitatis, conditionis, ſtatúsvé is fuerit, præter Principes Electores cum certo & præfinito eqvitum numero, tempore qvo Rex Romanorum eligendus ſit, in civitatem admitteretur, *tit. 1. Aureæ Bullæ* jurejurandô præſtitô ad eam obſtrictis.
19. Nolentes volentes ergò † Ambaſiatores Gallicos Confluentiæ, qvod eſt Archiepiſcopi Trevirenſis oppidum ad Rheni & Moſellæ confluentem, ſubſiſtere oportebat. Idq; haut ægrè debuiſſent ferre, cùm & Legati Hispanici, durante electione, Moguntiæ commorabantur, Sleidan. *pag. 19.*

III.

20. Qvod ergo † Regis utriusq; Legati Franckfordiæ in conventu Septemvirorum oretenus proponere non valebant, id ſaltem per literas explicare adnitebantur, more oratorio, qvid inſtructio jubebat, in chartâ conſignatum offerentes, ac publico in conſeſſu, ut omnibꝰ audire liceret, ac liqvidò intelligere, perlegi
21. rogantes ac ſupplicantes. † Qvid verò juris circa electionem Imperatoris Romani, Reges exteri prætendere, jubere vel monere potuiſſent, ſalvâ Septemvirûm poteſtate eligendi ac decidendi liberâ, meritò aliqvis ſcire expeteret? Deſiderio huic ſatisfacere
22. poſſemus, † ac fortaſſis deberemus, ex ipſis Orationibus in Comitiis Electoralibus exhibitis: Sed cùm verbotenus hæ reperiantur *in politicis* Goldaſti *Imperialibus part. 1, tract. 6.* ulteriori operu-
23. lâ ſuperſedemus. † Summatim tamen & per indicem qvaſi ea notâſſe haud inconſultum erit. Contendebant nimirum Oratores

ratores Hispanici, in electione, quæ jam sub manu esset Septemvirorum, Caroli Regis præcipuè habendam fore rationem, quoniam & indole ad virtutem egregia esset, & religionem ac justitiam summô studiô coleret: † naturâ verò à crudelitate & ab ob- 24.
scœnis libidinibus abhorreret: & jam specimen dedisset industriæ, fortitudinis & felicitatis suæ in occupandis Hispaniæ Regnis; Cumq; de ejus ingenio spes esset optima, pollicebantur,
† potentiam, quâ cæteris Principibus antecelleret, futuram esse 25.
præsidio Germaniæ & universo nomini Christiano: Admonebant porrò Electores, à Maximiliano Imperatore Nepotem Carolum iis commendatum esse, cujus memoria ipsis propter excellentem ejus virtutem & sapientiam gratissima foret; tantam verò in Maximiliano fuisse gravitatem, tantum patriæ & communis salutis amorem, ut nisi probâsset ingenium Nepotis, & judicâsset profuturam orbi terrarum electionem ipsius, non fuisse
eum commendaturum Electoribus. † Gallici econtrà Legati, Re- 26.
gis sui Francisci personam de meliori Septemviris commendabant, eumq; præ Carolo in Imperatorem designandum urgebant, qvòd Francorum Reges à stirpe germanicâ orti essent, tantaq; utriusq; gentis, Gallicæ & Germanicæ, fuisset olim conjunctio, ut velut unum Regnum sub iisdem signis, sub eôdem Francorum Rege, socia arma gesserint, ac domi iisdem legibus eodemq; jure
gubernatæ fuerint; † qvæ conjunctio admodum gloriosa nomini 27.
germanico, nec minus salutàris universæ Europæ, & imprimis Ecclesiæ fuisset, eaq; iterum per designationem Francisci Regis speranda, licèt hactenus Imperii decus initiô utriusq; Nationis virtute partum, Germani soli qvasi usucapione retentum possedissent: Dicebant porrò, † conjunctionem illam Galliæ & Ger- 28.
maniæ tum temporis maximoperè renovandam fore ad reprimendam barbariem Turcicam: Et si bello contra Turcos imminenti Dux qværendus esset, Rempublicam ipsam Regem Franciscum flagitaturam videri, qvia non solùm autoritate reliqvos Principes anteiret, sed etiam usu & peritiâ rei militaris. † Commenda- 29.
bant ipsum prætereà de felicitate in hostibus profligandis, de consilii atq; animi magnitudine, laborum tolerantiâ, ac summâ in rebus omnibus, qvæ ad Imperatoris curam pertinent, providen-

dis diligentiâ. Nihil metuendum promittebant veteri Principum Germanicorum libertati, cùm & suâ voluntate Rex leges & insti-
30. tuta majorum libenter observet: † additis ingentibus promissis ac obtestationibus, qvòd Rex Franciscus non aliam ob causam peteret Imperium, nisi qvòd toti nomini Christiano prædictam Galliæ Germaniæq; conjunctionem profuturam judicaret; nec
31. collocaturum esse præsidia Gallica in Germaniâ, † sed Germanicos exercitus suô stipendiô conducturum, qvibus de consilio Principum Duces germanici, qvorum virtus & fides probata esset, præficerentur; Et tandem referebant, olim sub Carolo Magno aliqvos Principes tenuisse amplos Principatus in utroq; Regno,
32. non absq; singulari ejus utilitate. Præcipua † hæc fuêre argumenta, qvibus utriusq; Regis Legati & Oratores Septemvirûm aures demulcere, eorumq; animos vincere & votorum pluralitatem extorqvere allaborârunt, qvorum aculeum explorare jam instituto arcemur, reservaturi qvicqvid roboris iis inest, ad expositionem voti Moguntini, cujus gratiâ laborem hunc suscepimus.
33. † In bivio interim constituti, an qvid ore locuti fuêre Ambasiatores, etiam in corde senserint, Imperii Romani ac totiꝰ germanicæ Nationis salute postulatû suû palliantes. Nec enim ab omni ambitione videri qveũt alieni, qvi jam labore Reipublicæ administrãdæ difficilimô implicati, onus humeris suis gravius imponi patiũtur,
34. tur, nedum id efflagitant, † aliô longè animô, qvàm qvo laudatissimus Saxoniæ Elector Fridericus in hoc ipso electionis actu Imperium sibi delatum modestè recusabat, omnemq; ambitionis notam evitabat, Joh. Sleid. *lib. 1. pag. 26.* Qvin & Galliæ Regem
35. † non tàm id egisse, ut vel publicæ Imperii germanici salutis, vel sui ratio haberetur, qvàm ut exclusô Rege Catholicô, cujus potentiam meritò suspectam habebat, unus ex Septemviris, aut qvilibet ex aliis Principibus germanis Imperator crearetur, notat Thuan. *lib. 1. hist. pag. 10.* qvod & rationibus probabile reddit.

IV.

36. Non satis verò sibi prospectum putabat † Rex Galliæ, si non aliunde etiam peteret auxilium, probè perspectum habens, causam suam Septemviris non tàm esse gratiosam, eò qvòd lingvâ, moribus ac institutis à Germaniâ differret. Redemtâ ideoq; Helvetio-

vetiorum, cum qvibus antea bellum ipsi fuisset, amicitiâ, Legatos ad eos misit, † non saltem mentem ac propositum suum de conqvirendis pro se Electorum suffragiis in novi Imperatoris designatione exposituros, causasq; hujus petiti demonstraturos, sed etiam opem illorum imploraturos, qvò non modò ipsi haut adversarentur, sed etiam causam suam apud Electores adjuvarent, Sleid. *p. 19.* † Sed qvid ad hoc Helvetii? Cùm Gallici Legati, inqvit Georg. Sabin. in histor. de elect. & coronat. Caroli V. hæc commemorâssent, qvanqvam privatim multos ingenti pecuniâ & novis largitionibus obligatos tenebant: tamen honesti viri delecti ex Civitatibus modestè responderunt, se non impedituros libertatem Principum Electorum, nec significatione aliqvâ voluntatis suæ aut terrore ullo, præbituros occasionem turbandæ tranqvillitatis Germaniæ, qvam agnoscerēt patriam: † Cumq; nominatim Helvetico fœdere exceperint Romanā Ecclesiā & Romanū Imperium, profitebantur, se nihil contra Romani Imperii Majestatē facturos esse: pertinet a. ad Majestatē libertas Principū Electorū. Hactenus Sabin. † Nihilominus Legatis dimissis scripserunt Helvetii ad singulos Electores literas; qvibꝰ qvid Galliæ Rex sollicitaverit, qvidq; ipsi responderint, significârunt, exponentes simul, se omnia defugere consilia, qvæ videantur esse contra Germaniæ tranqvillitatem, adhortantesq; illos, ne ad Gallos transferatur Romani Imperii decus, cùm adhuc in germanicâ Natione tantum sit consilii ac virium, ut exteros Reges accersere nil opus sit, Sleid. & Sabin. *alleg. locis.* Et ita Gallus ab Helvetiis delusus. † Tutiori autem viâ ingressus Rex Hispaniarum, ut qvòd nec ipsi aliorum deessent suffragia, demonstraret, adduxit suos Hispanos, Principes nempe ac Prælatos Regni, qvi tùm per Legatos, tùm per literas, Septemviros pro suo Rege compellârunt, eosq; persvasos voluêre, qvòd † Carolus non ambitione, seu qvovis privatô commodô ductus, sed pro communi bono Reipublicæ Christianæ & sacri Romani Imperii, & Germanicæ & Hispanicæ nationis exaltatione ac laude perpetuâ, electionem Regis Romanorum de se fieri cupiat; qvòdq; nil magis exoptent, † qvàm ut victrices Aqvilas & Hispanica signa concordibus animis & auspiciis fidei Christianæ hostibus inferant, orbemq; Christianum

pro-

Margin numbers: 37 (line 2), 38 (line 7), 39 (line 14), 40 (line 18), 41 (line 25), 42 (line 29), 43 (line 33).

pagent; foreq; polliciti, si eo honore, & Coronâ Romanâ Regem suum donaverint, cunctam Hispanicam nationem adeò conjunctam Germanis futuram, ut nullâ temporis vetustate dissolvi aut dirimi poterit. Fuit hæc summa literarum *sub dato in civitate Barchinonâ, die qvindecimo Mensis Martii Anno Domini M. D. XIX.* apud Goldast. *part. 1. polit. imper. tract. 6.*

V.

44. Pontifex qvoq; Leo X, † confusioni in administratione rerum sacrarum & civilium assvetus, ne se in terminis suæ vocationis continere videretur, temperare sibi haut potuit, qvin falcem suam in hanc mitteret messem, non saltem Electores hortando & animando, ut in statu jam fluctuantis Reipublicæ Christianæ de optimo Principe Rege Romanorum in Imperatorem e-
45. ligendo cogitarent, qvibus in terminis subsistere † primitùs videbatur in literis ad Ludovicum Comitem Palatinum sub Piscatoris annulo missis, *de dato Pali Portuensis diæceseos die 10. Februarii Anni M. D. XIX, pontificatûs sui VI.* & rursus *de dato Romæ apud S. Petrum die 11. Martii ejusdem anni*, apud Goldast. *part. 1. polit. im-*
46. *per. tract. 5. pag. 100. & 101.* † sed etiam imperando, jubendo, & tantum non eligendi potestatem ac licentiam sibi sumendo, ut non abs re mirati fuerint Principes Electores temerarium hunc ausum, ævô suô ab aliqvo Romanorum Pontificum nunqvam auditum, maximè ita propositum, ut Electoribus legem præscribat, jubeat ac vetet, prout legere est *in Protocollo super electione illâ habi-*
47. *to*, apud Gold. *dict. loc. tract. 6.* † Postulaverat namq; per Legatum Sixtum Cardinalem in conventu Sepremvirorum Vesaliæ apud Rhenum Anno M. D. XIX. celebrato: *Ne Regem Neapolitanum, cujus Regni proprietas ad Ecclesiam Romanam spectabat, ullo pacto in Romanorum eligerent Regem, obstante sibi defectu inhabilitatis & ineligibilitatis ex constitutione Clementis IV.* de qvo Sleid. *pag. 20.*
48. † idq; in favorem Francisci Regis Galliarum, cum qvo Bononiæ amicitiam firmaverat, ac ob id in ipsius partes magis inclinabat, Guicciard. *dict. lib. 13.* Sed minus candidè: Cùm enim propensiorem Electorum animum erga Carolum Austriacum animadvertebat, sententiâ mutatâ, ipsemet etiam in partes ejus
49. transiens, † nullâ ulteriori habitâ ratione Francisci Regis,

Prin-

Principes Electores, ut in proposito cœpto pergerent, Carolumqve Regem Romanorum designarent, per prædictum Cardinalem S. Sixtum adhortatus est; Inter alia siqvidem ille *sub dato Moguntiæ die 24. Junii Anno M. D. XIX.* ita scripsit ad Electores:
† *Leo Pontifex certâ spe confisus, Catholicum Regem futurum Apostoli-* 50.
cæ sedis optimum & filium & defensorem, Dominationes vestras Reverendissimas ac Illustrissimas certiores reddit, qvod si placuerit illis, eligere Serenissimum Carolum, Catholicum Regem, in Regem Romanorum,
† *non desistant de illius electione propter Romanæ Ecclesiæ jura circa* 51.
Regni Neapolitani feudum, non obstantibus ijs, qvæ per nos in hac causâ proposita aliàs sunt. Reperiuntur hæ literæ *in polit. imper.* Gold. *aust. tract. 6. Rubr. Actus legatorius Reverendissimi Cardinalis S. Sixti, Legati à latere cum Principibus Electoribus.*

VI.

Facies hæc fuit † Interregni post obitum Maximilia- 52.
ni sat periculosa, ut qvocunqve tandem se verterent Principes Electores, viam, ad securam Imperii tranqvillitatem deveniendi, penitus sibi præclusam, absqve negotio animadvertere potuerint, si præsertim vaticinii illius, † qvod olim de Maximilia- 53.
no Imperatore defunctô, ultimum fore ipsum Cæsarem germanum, à Vate qvodam dictum, & tùm ab Electore Trevirensi rursus in memoriam revocatum fuerat, certum ac indubitatum sibi eventum persvaderi sivissent, de qvo Sleid. *pag. 21.* Qvantò igitur difficilior hinc videbatur electio novi Regis Romanorum,
† tantò majori studio ac sollicitudine à Septemviris fuit susci- 54.
pienda, qvi nil qvidqvam fidei & dexteritatis intermittendum duxêre, qvô Reipublicæ multis periculis subjectæ succurri, ejusqve ruina averruncari posset. † Convenerunt ergò, qvorum 55.
suffragia reqvirebantur, omnes Francofordiam ad deliberandum & eligendum vocati: Albertus Cardinalis, Archiepiscopus Moguntinus; Hermannus, Comes de Weda, Archiepiscopus Coloniensis; Richardus, Archiepiscopus Trevirensis; Ludovicus, Comes Palatinus, Dux Bavariæ; Fridericus, Dux Saxoniæ; & Joachimus Marchio Brandenburgensis, tum temporis Electores, & qvod faustæ erat electionis omen, nemo eorum abfuit, † præ- 56.
ter Regem Bohemiæ Ludovicum, adhuc minorennem & sub tu-

telâ Regis Poloniæ Sigismundi constitutum, cujus tamen autoritate certos ad actum electionis ablegavit Commissarios, Ladislaum de Sternberg, supremum Regni Bohemiæ Cancellarium, & Christophorum de Schwaneberg, Ratislaum Betzkommen de Szebienzeuu, supremum ejusdem Regni Protonotarium, & Jacobum de Wirtzesenith, Eqvites auratos, Georg. Sabin. *de elect. & coron. Caroli V. Imp.* Convenerunt † autem, non ut nudo ac

57. simplici vacarent colloqvio, vel mutuo sermone se recrearent, sed ut communi animo atqve consilio benè ponderatô & deliberatô rem tantam agerent, qvæ ad salutem totius orbis terrarum & ad universam pertineret posteritatem, nempe ut novus eligeretur Rex Romanorum, & universæ Reipublicæ Christianæ, suo capite tùm orbatæ, ceu sol qvidam terris adsignaretur Princeps,

58. † qvi pacem firmare inter Christianos, bellum in impios Dei hostes transferre, propriâqve virtute, prudentiâ, & opum suarum potentiâ, immanium Turcarum furori & crudelitati obsistere posset, qviqvé esset in maximis rebus cum laude versatus, ætate integer, animo excellens, in gratificando largus, in bonos liberalis, de qvo admonebat Leo X. Pontifex Ludovicum, Comitem Palatinum literis, *sub dato Româ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 23. Maij. Anno M.D.XIX.* ad ipsum missis. Cumqve delibera-

59. tio hæc † omnium, qvæ de ullâ re humanâ incidere qveunt, esset difficilima, ne ad hanc illotis, ut vulgò dicunt, manibus accedere viderentur Septemviri, Sacrum priùs de Spiritu Sancto celebratum est, in qvo ad aram stantes singuli trabeati, inspectante Ecclesiâ publicè jusjurandum religiosè dederunt, se bonâ fide servaturos decreta de electione, qvæ in Aureâ Bullâ Caroli IV. sancita fu-

60. êre. † Ita nimirum & fide promissâ & precibus præmissis ad rem tàm arduam progrediendum arbitrati sunt Electores; Benè enim, ut Imp. ait, ac competenter tunc demum geruntur universa, si rei cujusq; principium decorum & amabile sit Deo, *Novell. 6. in pr.* de qvo more graviter disserens Cardin. Cusan, Sacri Im-

61. perii Electores, inqvit, † dum ad electionem procedere volunt, de statuto cum omni humilitate & devotione maximâ ad divina conveniant, spoliantes se omni peccato, ut in medio eorum sit Christus Dominus: & invocatâ gratiâ S. Spiritûs, post introdu-

troductionem agendæ rei devotam tractent de pluribus, qvi ad Imperium dispositione extrinsecâ & intrinsecâ tantæ majestatis digni esse possint, *lib. 3. de concord. Cathol. cap. 37.* veluti hinc etjam aliis in Comitiis publicis † Principes ac Status Imperii piaculum ducunt, ad consultationem properare neglectâ Spiritûs S. invocatione pro felici rerum agendarum successu, Arum. *de comit. cap. 7. n. 1.* 61.
Peractis verò sacris, † priusqvam ad rem ipsam deveniretur, privatim invicem colloqvi, unusqvé alterius sensa exqvirere, ac eidem rursus mentem suam aperire, & sese de universâ Republicâ Christianâ omnibusqve germanici Imperii partibus mutuò informare, è re putârunt Septemviri, usqve adeò ut congressibus hisce totas ferè consumsisse perhibeantur noctes. Qvâ in re imprimis Friderici, Saxoniæ Ducis curam & sollicitudinem commendat Georg. *Sabin. dicto loco*, Sleid. *pag. 20.* 63.

VII.

Qvicqvid verò officii est † Electorum in designatione novi Regis Romanorum, id imprimis Archiepiscopo Moguntino incumbit, qvi actum electionis dirigendo, unus omnium onus gravissimum sustinet, qvia est Collegii Electoralis Decanus, qvo titulò fuit honoratus *in epistolâ Archiprincipum Electorum, ad Benedictum XII. Pontificem exaratâ, qvæ extat tom. 1. Scriptorum german.* Freheri, *inter annales* Rebdorfii *pag. 425. & lib. Cerem. Eccles. 1. sect. 13. cap. 3.* † et Dux publici consensûs, ita nuncupatus ab Electoribus, apud Georg. Sabin. *de elect. Caroli V.* Præclarè ideoqve, & ex asse muneri huic ut præesset, non modò reliqvis Electoribus obitum Maximiliani Cæsaris intimavit, † eosqve Francofordiam ad deliberationem de successore convocavit, *ex præscripto Aur. Bull. tit. 1.* Sed & cum primus sententiam dicturus esset, laborandum sibi censuit, non saltem ut suffragio suo aliqvem nominaret, sed etiam causas suffragationis suæ exponeret, qvò eò faciliùs reliqvi ad suam sententiam adjungerentur; † simul animos Coëlectorum ad rem tanti momenti probè, sincerè ac fideliter gerendam excitando, eosqve ad concordiam hortando; idqve peculiari & gravissimo sermone actui electionis præmisso, efficere adnixus est, qvem paucissimis notat verbis Joh. Sleid. *Initium sermonis*, inqviens, *facit Moguntinus, & de magnitudine rei multis locutus* 64. 65. 66. 67.

ad concordiam cos hortatur, & multis in medium adductis exemplis, quantum malorum invexerit in Germaniam, patrum memoriâ, Electorum dissensio, demonstrat: ut autem nunc omnes idem velint atque sentiant, tantò magis requiri, quò gravius à Turcâ periculum immineat, & ab aliis, qui Germaniæ divulsionem quærant, Sleid. *dict. lib. 1. pag. 19.*

68. † Summa hæc fuit sermonis, quem perspicaciùs percipere licet ex annotatione ipsius tenoris apud Goldast. *in polit. Imper. part. 1. pag. 124.* in quo primitùs gravitatem negotii suscipiendi & agendi proponit, quod ipsis præ aliis gentibus sit injunctum: *Nam cæteri Reges* (refert inter alia) *non sustinent hoc ingens onus externa Regna*

69. *propugnandi;*† *noster Imperator eligitur, ut sit Dux publici consilii inter omnes Reges, ut propugnet Italiam, ut tranquillitatem Ecclesiæ præcipuè custodiat; Itaque cùm tantarum rerum cura Imperatori commissa sit, non ut in cæteris Regnis nascuntur successores; sed gravissimo consilio constitutum, ut judicio atque autoritate nostri Collegii quæratur Succes-*

70. *sor, qui molem tantarum rerum sustinere possit.* † Deinde ad leges electioni præscriptas provocat, ac simul fidei & dexteritatis debitæ Cöelectores admonet: *Me in hisce tutis*, dicebat, *præcipuè hæc consolatio erigit, quod cùm Imperia divinitus constituta sint, non dubito, & nostrum Collegium à Deo gubernari, qui si nos legibus obtemperabimus, si pietatem, fidem & diligentiam, quantum prospici hominum mentibus potest, præstiterimus, aspiraturus est consiliis nostris, ut electio sit*

71. *fausta ac felix patriæ, ac universo homini Christiano.* † Addit porrò Moguntinus, contemtui ipsis fore apud alios, si privatis gesserint morem cupiditatibus: *Cogitare enim*, ait, *omnium Regum ac Principum oculos in nos esse conjectos, qui non modò de eo, quisquis electus fuerit, sed de nobis etiam judicium facient, an gravitatem tantam præstiterimus, quanta in hoc summo consilio orbis terrarum requiritur, an saluti orbis terrarum consulere voluerimus, aut privatis cupiditatibus mo-*

72. *rem gesserimus.* † Ac tandem, quot bella civilia, plena crudelitatis & perniciosa toti terrarum orbi, tàm ante quàm post concilium Electorum constitutum, ex discordiâ & suffragiorum dissimilitudine in electione exarserint, recitat, multisque certaminum exemplis inter Conradum Suevum & Lotharium Saxonem: Philippum & Otthonem IV. Fridericum II & Henricum Landgravium Thuringiæ: inter Ludovicum Bavarum & Fridericum Austria-

Austriacum: Ludovicum & Carolum Lucenburgensem, firmat; † Imprimis verò refert, qvid calamitatis acciderit Germaniæ & Italiæ ex discordiâ & conspiratione Principum contra Henricum IV. Rudolpho Duci Saxonum & Sveyorum nomen Regis tribuentium, ex qvâ bellum patriæ funestum suam traxit originem, qvod qostea luctuosum fuit Rudolpho Duci Seviæ, Otthoni Duci Saxoniæ, Gerardo Lotharii patri, & Egberto Marchioni Misnensi, nec non Episcopis Magdeburgensi & Wormatiensi, omnibus manu hostili interfectis ac trucidatis. † Quorum recitationi monitum hisce subnectit verbis: *Tot igitur exemplis tristissimis moniti pertinacissimè tueri concordiam debemus, præsertim hoc tempore, cùm Turcæ nobis bellum denunciant, comminantur, se non modò Imperium, sed & libertatem ac religionem erepturos esse.* Nec destitutum † fuit effectu suo hoc monitum, sed benignô id excepe runt animô Coëlectores, sapientiam Moguntini laudantes ac seriò promittentes, summo studio se operam daturos, ut haut suffragia discrepent, sed concors sit electio; qvod omnium nomine Joachimus Marchio, cui propter excellentem eloqventiam hæ dicendi partes fuerunt demandatæ, responsô suô significavit, Georg. Sabin. *dict. tract. de elect. & coronat. Caroli V.* 73. 74. 75.

IIX.

Et hæc omnia ante ipsum electionis actum, † postea demum certô huic præfinito die susceptum, cui Moguntinus non minori dexteritate Decani, nec sagacitate & prudentiâ Ducis inæqvali præfuit, primum dicens votum, † cui ne plus æqvô virtutis in eligendo Rege Romanorum tribuere videretur, Principem orbi terrarum divinitus dari fassus est, notante Sabinô *dict. loc.* elogiô hôc suffragia simul Coëlectorum temperans, ut qvi recens eligatur Imperator, nec sibi, nec Collegiô Septemvirali, sed soli Deo fasces & sceptra Imperii referret accepta, saniori judiciô, qvàm † qvô Pontificii Principibus potestatem regiminis, lege hereditatis, vel jure electionis aut belli obtentam jactantibus annuere haut dubitant, Bellarm. *de transl. Imp. cap. 9.* Didac. Covarr. *pract. qvæst. cap. 1. n. 6.* qvod si de modo conseqvendi acceptum velint, non multum ipsos à vero aberrâsse fateamur necesse est, firmô interim stante nostratium Politicorum dogmate, potesta- 76. 77. 78.

 tem

tem Imperatori & Principibus immediatam esse à Deo concessam
79. † qvem intellectum haut obscurè probat Imp. Ludovicus singulari constitutione, qvæ hæc nobis suppeditat verba : *Declaramus, qvòd Imperialis dignitas & potestas est immediatè à solo Deo, & quod de jure ac Imperii consvetudine approbatâ, postqvam eligitur aliqvis in Imperatorem sive Regem ab Electoribus Imperij concorditer, vel majori parte eorundem, statim ex solâ electione est verus Rex, & Imperator Romanorum censendus & nominandus*, apud Alber. de Rosate *ad l. benè à Zenone. C. de qvadr. præscript.* Aventin *lib. 7. annal.* nec no-
80. viter hoc, cùm † & ante ipsum alii jamdudum Imperatores potestatem suam soli Deo retulerint acceptam, veluti ex *l. 1. C. de summ. Trinit. l. 1. C. de veter. jur. enucl. Novell. 73. in præfat. §. 1.* aliisqve textibus juris firmat Joh. Azor. Jesuita *tom. 2. instit. moral. lib. 10. cap. 2. §. 6.* Ac, si ex Pontificis electione argumentum petere lubescat,
81. † verissimè locutum fuisse Moguntinum, ipsimet inficias haut ibunt Pontificii, qvi piaculum ducunt, immediatam negare potestatem Papæ à Deo acceptam, licèt à Cardinalibus fuerit electus, perinde ut nec sortis eventus immediatæ Apostoli Matthiæ vocationi qvicqvam detrahere potuerit, Cluten *in syllog. rer. qvo-*
82. *tid. th. 4. lit. e.* † Firmô hôc positô suffragii sui fulcrô, ipsum elocutus est Elector Moguntinus votum deliberativum, qvâ verbis, qvà rerum pondere gravissimum, summatim à Johanne Sleidano, paulò majori autem verborum apparatu à Georg. Sabin. notatum, ulteriori dilucidatione omninò dignum : Qvam in præsentiarum, auxiliante Deo, suscepturi, eam seqvemur methodum, qvam ipsemet Elector Archiepiscopus observandam duxit;
83. † De tribus namq; ait, sententiis moveri qvæstionem: *An Galliæ Rex Franciscus; an Hispanorum Rex Carolus; an verò Germanus qvispiam sit eligendus ?* qvas postea determinando, electionem Francisci Coëlectoribus dissvadet : Caroli verò Austriaci designationem svadet, & dubia, qvæ ipsius personam reddere suspectam possent, ita refellit, ut in alium qvempiam Germaniæ Principem suffragia dirigere, opus neqvaqvam existimet. Nimirum
84. † tripliciter votum hoc qvalificatum voluit: *Primò*, ut sit dissvasorium : *Secundò*, svasorium : *Tertiò*, refutatorium. Tribus ideòqve hisce capitibus mentem Suffragatoris Illustrissimi aperiemus,

emus, breviſſimis tandem addentes *qvartum*, qvod eſt effectivum, ne, qvid ſuffragiô hôc graviſſimô effecerit, ſilentio ſupprimatur.

CAP. I.

Votum Archiepiſcopi Moguntini diſſvaſorium.

IX.

Pungit hôc votô Franciſcum Galliæ Regem Moguntinus Elector, id operam dans, ne qvisqvam Coëlectorum perſvaderi ſibi patiatur tranqvillitatem & ſalutem Imperii, ſi Imperatoris deſignetur, qvod ut fieret, Elector Trevirenſis multùm contendebat, nec ſine metu, ipſum id ſuffragiô ſuô effecturum, qvippe qvi, ut Georg. Sabin. apud Goldaſt. *part. 1 polit. Imp.* ait, pollebat ingeniô, doctrinâ & rerum uſu: nam & Romæ in judiciis † & negotiis publicis diu verſatus fuerat, 2.
& in Germaniâ propter domeſticam adminiſtrationem & dexteritatem in publicis negotiis vel Imperii vel aliorum Principum, magnam prudentiæ laudem erat conſecutus, nec ulli ex aliis Septemviris res Galliæ erant notiores. *Hactenus* Sabin. qvam ob cauſam etiam, cùm in privatis congreſſibus aliqvoties oppugnâſſet Caroli Auſtriaci electionem, finitô Moguntini ſermone, lubentiùs & majori cupiditate ſententiam ejus reliqvi exceperunt Electores, Joh. *Sleid. lib. 1. comm. pag. 22.* † Nec argumenta Trevirum deficere potuerunt perſvaſoria, ſi ſaltem ea 3.
ex literis regiis Senatui Francofordenſi ſcriptis apud Goldaſt. *dict. p. 1. pag. 107.* repetita voluiſſet, non ita ſcilicet Galliæ Regem à Natione germanicâ excludendum fore, ut ratione ſangvinis etjam prædeceſſorum pro Germano haberi haut debeat, ſive olim Franci à Germanis, ſive Germani à Francis originem traxerint; † qvod & Legati literis ſuis ad Septemviros *ſub dato Nonis Junii,* 4.
Anno M.D.XIX apud Goldaſt. *dict. loc. p. 112.* miſſis non parû urgebant, addentes, Germanorum Francorumqve unam olim fuiſſe Rempublicam, alterosqve ab alteris mutuam traxiſſe originem, qvod voculâ provinciæ antiqviſſimæ floreutiſſimæqve: Franconiæ ſcilicet, & civitatis Franckfordiæ, de Francorum nomine ſic appellatæ, celeberrimi totius Germaniæ emporii, probare intendebant. † Qvò & poſtea inclinat Trevir in ſuo ſuffragiô: 5.

Qvo

Quo tempore Gallia, inqvit, *fuit conjuncta Germaniæ, quod fuit Francorum ætate florentissimum, extitit hoc nostrum Imperium, & quidem ejus temporis recordatio non mediocriter me delectat, quoties in historiarum lectionem & res ante actas incido*, Joh. Sleid. *loco alleg. pag.* 25.
6. † Ita nempe ex origine antiqvâ animi Electorum in partes Francisci Regis Galliæ trahi potuissent, si præsertim iis in memoriam revocatum fuisset fœdus gallicum, cujus meminit Rex in
7. prædictis literis ad civitatem Francofordiam scriptis: † *Compertissimum videlicet omnibus esse, quali semper amicitiâ, ligâ, confœderatione inclyta Franciæ Corona sacro Imperio fuerit conciliata, arcti simèqve devincta; quantòqve majores Franciæ atqve progenitores studio, favore, benevolentia Imperiales qvondam civitates earumqve cives, atqve indigenas observârint, fuerintqve complexi.* Ac forsan
8. † nec rerum aut verborum apparatu destitutum qvis putaverit Trevirum, si Francisci potentiam ac virtutes prædicare, & in laudes ipsius erumpere voluisset. Et si omninò defectus elogii extiterit, ex verbis Ambasiatorum nullo negocio supplementum
9. peti potuisset. Sed qvæ illa? De Regis † nostri, inqviunt, fortunâ, viribus, potentiâ qvid nunc attinet dicere? qvum vos ipsi satis superqve exploratum habeatis, qvantas militum copias, qvantos exercitus suis ipse sumptibus alere consveverit, vestire, armare, ac plerumqve socios viribus hostium lacessitos, armis, viris, eqvis, commeatibus juvare, eisdemqve qvàm celerrimè opitulari. Jam verò virtuti ipsius qvæ potest facundia, qvæ oratio par inve-
10. niri? † Qvem hâc, obsecro, tempestate inter Principes orbis terrarum reperias, qvi si ætate, viribus, ingenio, potentiâ, opibus, strenuitate, diligentiâ cum eo conferendus? Aut in qvo tot eximiæ dotes atqve ornamenta Imperatoriæ dignitati excellentiæqve
11. consentanea inveniantur? † Nullas profectò res ei deesse constat, qvas ille Oratorum Princeps, Tullius, optimo cuiqve Imperatori necessarias esse profitetur, scientiam rei militaris, virtu-
12. tem, auctoritatem, felicitatem &c. Et rursus: † Nec novum, atqve cuiqvam inauditum esse debet, aliqvot olim Reges Francos non minore populi germanici, qvàm suâ ipsorum & felicitate & gloriâ administrando sacro Imperio præfuisse, qvi Germaniam templis, cœnobiis, & tàm publicis qvàm privatis ædificiis de-

corate.

corare, variisqve ac preciosis muneribus locupletare studuerunt.
Ac tandem : † Hoc unum tamen neqvaqvam præterierim, 13.
Franciscum Regem, si Dei optimi maximi ac vestro munere Im-
perii dignitatem adipiscitur, à majorum suorum præstantiâ virtu-
teqve minimè degeneraturum, qvi non modò illam æmulari, ve-
rùm etiam (si qva fata sinunt) vincere contendet, dabitqve enixis-
simè operam, ut neqve in eo, Superis adjuvantibus, Augusti felici-
tas, neqve Titi humanitas, neqve bonitas Nervæ, Trajani probi-
tas atqve justitia, Constantini religio, Theodosii pietas, Caroli co-
gnomento Magni rerum fortiter magnificèqve gestarum gloria,
incredibilisqve liberalitas atqve magnificentia ab aliqvo deside-
retur, &c.

X.

Præclarissimum sanè Regis Galliæ hoc fuit elogium, † cui 14.
omnes veteres illæ statuæ & pyramides, in qvibus, Pliniô *lib. 36. cap.*
12. prudentissimè judicante, otiosa & stulta pecuniæ ostentatio,
omnia antiqva Pompeii & Titi theatra, omnia spectacula & ve-
tera Periclis propylæa, ac nostrâ memoriâ incredibili & labore &
impendio Sixti V. Pontificis Romæ erecti Colossi, longissimo in-
tervallo cedere coguntur. Cumqve hoc effici Moguntinus me- 15.
tuebat, ut Coëlectores persvasi, in designatione Regis Romano-
rum Francisco darent suffragia, eventum hunc & sibi & Imperio
haut gratum, dissvasoriis argumentis prævenire suscepit. Ac
† *primò* omnium judicavit fortissimum ex legibus Imperii & 16.
præstitô Septemvirorum juramentô desumtum; qvo de ita Ioh.
Sleidan. *Ad Gallum qvod attinet, legibus nostris*, inqvit Elector
Moguntinus, *& jurejurando nos arbitror impediri, qvibus cautum est,*
ne decus hoc Imperii transferatur ad exteros, qvin autem peregrinus
ille sit, nulli dubium esse puto. Aliis paululùm verbis & explicatiùs
argumentum hoc refert Georg. Sabin. & Moguntinum ita lo-
qventem producit: *De Gallo, arbitror, nos impediri nostris legibus &*
jurejurando. Est enim disertè constitutum, ne extero, sed germanico
Principi Imperium commendemus, ne hoc tandem decus ad exteras Na-
tiones transferatur, & non modò Germania veniat in servitutem, sed et-
iam in Italiâ aut statu Ecclesiæ mutatio seqvatur : † *Nec verò dubium* 17.
est, Regem gallicum esse peregrinum Principem, & eò appetere hoc fasti-

gium, ut ad ſuos transferat, ſicut idem majores ipſius ſæpè armis ad ſe retrahere conati ſunt. Hucusqve Sabinus. Suſpicabatur nempe Elector Moguntinus, fore, ut Franciſcus, ſi ad faſtigium pervenerit, & ſibi
18. & Gallis ſuis proprium ac hereditarium faceret Imperium, † bellorum ac dimicationum acerrimarum memor, qvibus Carolus Craſſus & Otthones poſſeſſionem Imperii in Germaniâ retinuerint. Id verò periculi lege illâ, qvâ extraneis Imperii gubernatione interdictum erat, averti exiſtimabat, eamqve propterea ſum-
19. moperè urgebat, † qvòd nec Trevir Galliæ Regem ex ſangvine Germanorum natum ſeriò crediſſet, prout ex voto ejus perſpicuum, Sleid. *pag. 25.* Qvicqvid enim Ambaſiatores gallici de origine Francorum & Germanorum dixerant, id non magni habuit Moguntinus, neqvaqvam ſibi nugas illas perſvaderi paſſus,
20. unde, Sabinô notante, absqve ulla reſpondit hæſitatione: † *Qvod autem aliqvi referunt vetuſtam originem Francorum Regum ad Germanos, hæc leviora ſunt, qvàm ut Principes tantâ ſapientiâ & gravitate præditos movere debeant*, apud Goldaſt. *dict. part. 1. polit. Imper. pag. 118.*
21. cum qvo planè conveniebat † Hermannus Nuenarius Legatus Hiſpanicus, contra Ambaſiatores gallicos ita inſurgens: *Non libet hôc locô veterem illam controverſiam movere, quæ ſæpius eſt ab eruditiſſimis retractata, qvinam priſci illi extiterint Franci, ſed hoc unum dico, longè à veritate alienos eſſe, qvi hos ad Galliam trahere conantur, qvippe cum ante Chlodovei Regis tempora in Galliis habitâſſe Francos, nullis hiſtoriis comprobari poſſe, certum ſit, at tùm Germaniam illos*
22. *inhabitâſſe conſtat:* † *Et licèt Galliis dominarentur, Germaniam tamen aliqvando deſeruiſſe, qvi affirmat, imprudentiſſimus eſt*; *in Orat. ad Principes Electores pro Carolo Romanorum Rege eligendo*, apud Goldaſt. *polit. Imper. pag. 117.* Minus verò negotii faceſſere videbantur Moguntino, qvæ Franciſcus Galliarum Rex de ligâ & confœ-
23. deratione Francorum cum Germanis antiqvâ proferebat, † poſtqvam Germani neqvaqvam habentur, qvi iis fœdere ſaltem contra hoſtes communes ſunt conjuncti, ut Angli, Poloni, Ruſſi, Lithuani, Dani, Norwegi, Hungari; non enim adſcititia illa amicitiæ conjunctio, ſed mores, ingenium, lingva Germanos faciunt,
24. ut cenſuit ipſemet Trevirenſis apud Sleidan. *dict. pag. 25.* † Ac ne qvicqvam diſſimulemus, licèt antiqvis Galliæ & Germaniæ incolis

incolis sangvinis cognationem vel affinitatem concesserimus, juvari tamen eâ haud possunt Galli, qvi seculis aliqvot præterlapsis à Germanis ita degeneraverunt, forsan ex cœlo mitiori, ut nec à bonis corporis, nec animi, fratres ulteriùs Germanorum haberi qveant, qvin potiùs naturam eorum exuisse censeantur, Henr. Bebel. *in Orat. ad Imp. Maximilian. de ejusdem & Germaniæ laudibus*. Petr. Heig. *part. 2. quæst. 5. n. 27.* † Idqve discriminis jamdudum advertit Cæsar inter Gallos & Germanos, nec absqve fundamento, cùm horum vita omnis in venationibus atqve studiis rei militaris consistat à parvulis, Galli verò molles sint. Nam ut ad bella suscipienda Gallorum alacer ac promptus est animus; sic mollis & minimè resistens ad perferendas calamitates, eorum mens est. † Qvô & spectat illud Cornelii Taciti *de morib. germ. Treviri & Nervij*, ait, *circa affectationem Germanicæ originis ultrò ambitiosi sunt, tanqvam per hanc gloriam à similitudine & inertia Gallorum separentur*. Et unde tot pugnæ, tot etiam victoriæ Germanorum contra Gallos, qvàm qvòd hi ab ipsorum sangvine penitus defecerint, ut multis probat Cæsar *lib. 7. comm.* † Debilis itaq; fuit Francisci Regis argumentatio, qvâ ortum suum ex sangvine Germanorum Septemviris persvadere nitebatur, ut hisce meritò verbis argumentum dissvasionis finierit Elector Moguntinus: *Alioqvi si illæ veteres fabulæ Gallis patrocinantur, perinde poterunt à Turcis Trojam repetere, atqve à nobis Imperium: qvia perhibent, se ab Hectoris filio natos esse*, Georg. Sabin. *in relat. voti Mogunt.* 25. 26. 27.

XI.

Explosâ fallaci hàc Regis Galliarum persvasione, † pergit Moguntinus in recitatione argumentorum dissvasoriorum, petitqve *alterum* à motibus bellicis, qvos à Francisco excitatum iri animus non modò præsagiebat, sed & conscriptio exercitûs horrorem jam incutiebat. Idqve à Sleidano hisce consignatum legimus verbis: † *Etiamsi natio non impediret, tamen è Republicâ non est, qvia fines ac ditionem suam Gallus amplificare volet, & Carolo, qvem odit, bellum faciet, imò jam illud denunciavit: itaqve fiet, ut Germania maximis motibus implicetur, nos autem providere decet, ne civile bellum excitemus.* Et paulo post: † *Tentabit Belgium aggredietur Neapolim, eamq; velut sibi debitam & hæreditariam recuperare volet,* 28. 29. 30.

let, qvid? an ut ista faciat, nos illum armabimus? *Nec est, qvòd de rebus incertis atqve dubijs vaticinari me qvis dicat, jam enim exercitum*
31. *ille conscribit.* † Non frivolum sanè est hoc Moguntini argumentum, qvod non modò ut Vates eloqvitur, sed etiam ut Imperii Archicancellarius & Elector multùm urget. Qvàm verum enim fuisset hoc vaticinium, absqve ullo percipere valet negotio,
32. qvi fidem tribuere velit Thuano, † Franciscum Imperii germanici scepra petentem non tàm id egisse, ut ratio sui haberetur, qvàm ut exclusô Rege catholicô, cujus potentiam meritò habuit suspectam, unus ex Septemviris, aut qvilibet ex aliis Principibus germanis Imperator crearetur, *lib. 1. histor. pag. 10.* Verebatur
33. enim † ob Caroli Austriaci ad Imperium evecti potentiam se haut effecturum, qvod de recuperatione regni Neapolitani, & Henrico Labretano Johannis F. in Navarræ regnum restituendo, nec non de Galliâ jure belli amplificandâ cogitabat, sibiqve jam proposuerat; Ita scilicet Rex Galliæ statum Regni tranqvillum pollicebatur, animumqve pacificum simulabat, nil minus tamen
34. animo fovens. † Sed qvanta hinc Germaniæ calamitas pertimescenda fuisset, Moguntinus probè animadvertebat, qvare voto suo ipsum juvare nec poterat nec debebat, nisi officium Archicancellarii, qvod in Germaniâ sustinebat, neglexisse videretur.
35. Non etenim † dignus vel tituló vel officiô Consiliarii, nedum Cancellarii & tanti Collegii Directoris, qvi cùm regimen conservare qveat tranqvillum, motibus bellicis id implicat; Ac verè Consiliarium, qvi levi de causâ belli suscipiendi vel autor & svasor est, aut bile abundare, aut conscientiâ carere dixit Anton. de
36. Guevara *in horolog. Princip. lib. 3. c. 4. n. 499.* † Eoqve magis hoc argumentum noster urgebat, qvòd Carolum à Bellatoris titulo & conatu hostili abstinere nôsset. Hic enim, cum Legatum Venetum qvidam detulerat, qvod tarditatem & lenitudinem ipsius culparet, nil inde offensus, nunqvam mundum à bellis qvieturum & respiraturum, respondisse fertur, si eâ celeritate, qvam res & causæ plerunqve postulant, bella statim moveret, David
37. Chytr. *in orat. de vit. & morte Imp. Caroli V.* † Non scilicet tàm laudem & gloriam ex prælio, qvàm commodum qværebat publicum & subditorum, animæq; salutem; qvod responsum reportâsse

tisse dicuntur Antonius Leva, aliique Duces, Julii Cæsaris & Alexandri Magni exempla laudantes, nec uti Carolum suis victoriis ad potentiæ & magnitudinis suæ amplificationem, qvantum & posset & deberet, qverentes; ad qvos ille: *Alexandro & Julio in* 38.
bellis gerendis unum fuisse finem, honorem & gloriam, Christianis verò Regibus duos esse propositos, honorem, subditorumq; & animæ salutem, Chytr. *dict. loc.* † Archicancellarius ergò qvia erat Moguntinus, periculis ex Francisci motibus bellicis Imperio imminentibus obviandum prudenter duxit, ne Germaniam in paupertatem & exilium præcipitaret, qvæ certissima est bellorum pacisqve neglectæ seqvela, qvam etiam non minus verè, qvàm prudenter Carolus V. prædixit Principibus germanis & Statibus confœderatis, qvorum castra cùm ad vicinos Ingolstadio montes longissimô spatiô extenta vidisset: Suntné, qvæsivit, isti omnes germani? Et benè est, statim sibi respondit, citò eis deerit consilium & pecunia atqve concordia, Chytr. *loc. allegat.* † Cumqve 40.
Moguntinus etiam Elector esset, animum Francisci armorum cupidum & ad bella paratum dissimulare haut debuit, jurejurandô obstrictus ad talem eligendum Imperatorem, qvi regimini tantô præsit virtute, ut consilio & autoritate ejus conservetur status Imperii tranqvillus, Onuph. Panvin. *de comit. imper. cap. 10.* Casp. Ens *in libell. de elect. & inaugur. Reg. Roman.* Göden *de elect. Reg. cap. 5.*

XII.

Nec † parum roboris argumento huic addebat causa 41.
impetûs Turcici, qvem totus timebat orbis Christianus, cui vix resistere potuissent pro virili Principes germani, bellis intestinis implicati, qvorum operas porrò augere videbatur defensio Austriæ, qvam Gallus oppugnare intendebat. De qvo ita Suffragator Reverendissimus apud Sleid. † *Ad Caroli ditionem pertinet Austria: Si Gallus hanc oppugnet, ut omninò faciet, an eam prostituemus? Itané de nobis & Imperio meritus est Maximilianus Cæsar? Illis autem Regionibus oppressis, an incolumem diu libertatem nostram fore putatis?* Nova hinc calamitas Germaniæ certò imminebat, † si defensio Austriæ suscipienda fuisset, qvam tamen negligere merita Maximiliani prohibebant, nec enim & gestorum & virtutum ejus ita obliti erant Septemviri, ut non piaculum habuissent,

ſent, devaſtationem hujus regionis haut averruncare, nec tanti
Principis laudes aliud expoſcebant, de qvo Peucer. refert, vitam e-
jus plenam fuiſſe exemplorum, non ſimulatæ ſanctimoniæ, hone-
ſtatis, gravitatis, temperantiæ, ſobrietatis, caſtitatis &c. *tom. 7. hi-*
ſtor. Aug. in deſcript. Maximil. 1. & fuſiùs de encomio illius Cuſpini-
44. an. *in Maximil.* † Sed & familiæ Auſtriacæ ſplendor ac nobi-
litas propugnationem extorqvebat, ut fateri neceſſum habebit,
qvicunqve ipſum exactiùs perpenderit ſuffragium, verbis paulu-
lum aliis à Georg. Sabin. conſignatum; ita namqve ille: *Num*
arma geremus ad opprimendam domum Auſtriæ? Nec nos vetus neceſ-
ſitudo, nec ſangvinis conjunctio, nec merita & nobilitas domûs Auſtria-
45. *cæ à tanto ſcelere deterrebunt?* † Elogium ſanè & Archiducum
Auſtriæ & Domus Auſtriacæ ſplendidiſſimum, jure ipſis dictum, a-
liter licèt ſentiat, qvi Hippol. à Lapide audire cupit, tot conviciis,
tot contumeliis domui Auſtriacæ inſultās, nec ſibi temperās, qvo-
minus Sanctum Domini à ſolio dejectum eat, inſigni perduellionis
46. crimine implicatus; Qvorſum enim verba ejus: † *Firmiter cre-*
dimus & audacter dicimus (veriſſimè audacter & nimis audacter,
qvin & petulanter) *non minimam hanc ſiniſtræ noſtræ fortunæ cauſam*
fuiſſe, qvod Principes noſtri, cum Imperatorem Archiducem Auſtriacum
eſſe Tyrannum, leges Imperij fundamentales, Capitulationem & jura-
mentum ſuper illis præſtitum multis modis violantem, liqvidè cognoſce-
rent, & ipſimet vividis Tyranni coloribus eum depingerent, ſeu metu, ſeu
vanâ qvâdam Cæſarei nominis reverentiâ absterriti, illi tanqvam per-
duelli & hoſti bellum apertè indicere diſtulerunt, de ratione ſtat. part. 1.
cap. 7. Exhorreſcimus verba hæc referentes, qvæ & paſſim *in*
47. *tract. illo* repetit. † Sed qvid Archicancellarius Imperii? *Ita-*
ne de nobis & Imperio meritus eſt Maximilianus Cæſar, Archidux Au-
ſtriæ? nonne vetus neceſſitudo, ſangvinis conjunctio, merita & nobili-
tas domûs Auſtriacæ à tanto ſcelere nos deterrebunt? Deterrere omni-
48. nò potuerunt Imperii Electores, † ſed non perſonatum illud
Cor lapideum, qvin lingvæ petulanti ac venenoſæ frenum laxa-
ret. Ac ne ſcintillam devotæ modeſtiæ in eo reſidere qvisqvam
exiſtimaret, impudenter contra Domum Auſtriacam inſurgere
pergit: *Omnium arma in defuncti Tyranni liberos ac totam iſtam fa-*
miliam, Imperio noſtro avitaq; libertati exitioſam, nulliq; qvàm ſibi fi-

dam

dam, Domum, inqvam, Austriacam convertuntor: Illa, prout de Republica nostra merita est Germania, in totum pellitor: Ditiones ejus, qvas amplissimas Imperij beneficio consecuta est, & sub Imperio possidet, in fiscum rediguntor. part. 3, cap. 2. † Qvot paginæ, tot perduellionis 49.
crimina, qvot verba, tot ferè convicia in Sanctos Domini evomita, argumentis ac syllogismis non logicis, sed à Vulcano petitis gladioqve & igne confectis refutanda. Qvid verò de hoc rerum genere Moguntinus? † *Num arma*, inqvit, *geremus ad opprimendam Domum Austriæ? num eam prostituemus?* Qvid Sigismundus 50.
de Saraw: *Qvis verò totius Serenissimæ familiæ Austriacæ dotes gentilitias, incredibilem clementiam, bonitatem, beneficentiam, moderationem, affabilitatem, mansvetudinem, splendidissimo lumine enitescentem non perspexit?* David Chytr. *in Chron.* † Qvid Varsev. 51.
in orat. ad Rudolph I. & passim *in fasc. orat. austr.* *In familiâ Austriacâ nullum unqvam tyrannum cum tàm sublimi potentiâ vel legimus, vel audivimus fuisse*, Herm. Kirchner *in morviller. lib. 2. cap. 5. n. 83.*
Qvorsum illud Friderici II. Imperatoris? † *Austriam cor esse ac clypeum sacri Romani Imperij, qvam & mirum in modum auxit, extulit atqve exornavit, fatentur omnes*, Joh. Cuspin. *in vita Friderici II.* 52.
Ne qvidqvam addamus de tot egregiis Austriacorum facinoribus, præmiis ac privilegiis, qvorum omnis historia est refertissima,
† unicum saltem, idqve non minimum felicitatis exemplum 53.
subnectere lubet, qvod suggerit Ens *lib. 1. thes. polit. apotelesm. 6. p. 147.* Domum scilicet Austriacam intra qvindecim annorum spatium omnibus in orbe Christiano Regnis vel Reges, vel Reginas dedisse, exceptâ Scotiâ. Estné ergò hæc familia iam abominanda, ut eam tot convitiis, tot scommatibus tractare liceat?
† Itané soli Hippol. de Lapide, qvi qvidqvid forsan humani, 54.
Heroës laudatissimi, aliqvando passi fuerint, corrasit, & ex odio privato animoqve pestilenti in vulgus spargere nec erubuit, nec temperare sibi potuit, majorem tribuendam arbitrabimur fidem, qvàm tot familiæ Austriacæ encomiis, qvorum larga suppeteret nobis messis, si non instituto prohiberemur. † At non 55.
miremur ausum autoris hujus personati temerarium ac malitiosum, cùm & Collegio Electorali insultare, ac nescio qvid non perfidiæ, inconstantiæ & levitatis imputare, haut abstinuerit.

Qvic-

Qvicqvid vero calumniarum is tandem in Archiduces Austriæ
56. Imperiiqve Archiprincipes Electores evomuerit, † altô id supercilio animoqve generoso contemnunt, cùm defensorem habeant pro se loqventem & testem fide dignissimum, omniqve exceptione majorem Archicancellarium Germaniæ, cui & qvæ arcana, & qvæ publica Imperii sunt acta & actitata, præ aliis notissima.

XIII.

57. Sed in orbitam! † Et qvid porrò intentionem Suffragatoris nostri juverit, videbimus; ac *tertiò* designationem Francisci in Regem Romanorum propterea dissvadendam duxit, ne, si Gallos suos in urbes Imperii adduceret, Germani eorum levitate, libidine ac fastu inficerentur, de qvo qvidem nihil Johan. Sleidan, attamen à Georgio Sabino id verbis expressis legitur notatum.
58. Ita namqve is Moguntinum inducit disserentem: † *Qvamqvam etiamsi natio nihil impediret, dissvaderem hanc electionem; Primùm enim in Germaniam adducendus erit Gallus: qvantum eâ in re periculi erit, cùm exercitus peregrinus distribuetur in urbes Imperii? an superbiam & libidines eqvitum gallicorum civitates ferent?*
59. † Falsò effictum haut fuisse hoc periculum, inficias non ibunt, qvi qvid vitii ex malorum consortio attrahatur, vel experientiâ sunt edocti, vel in Scholâ Ethicorum didicerunt, nisi temeritatem & levitatem Gallorum in moribus & vestitu studiô dissimulare velint; cùm tamen Cæsar jamdudum dixerit, Gallorum genti temerita-
60. tem maximè innatam esse, *lib. 7. hist. de bell. gall.* † Et ne probandi onere gravemur ulteriori, testem adducimus Alexandrum Pontamarium, & ipsum natione Gallum, gallicæ temeritatis hominisqve nobilis, in moribus & actionibus omnibus variabilis imaginem ita delineantem, ut nemo artifex Gallum diligentiùs vel pingere vel fingere potuisset, idiomate gallico *en l' academie de la Noblesse francoise,* qvod ita vertit latinè Rudolph. Maximil. *in*
61. *Orat. contra Galliam:* † Nobilis Gallus in delicias & inertiam, qvàm magnanimitatem est proclivior, cum perpetuo rerum omnium fastidio, ubiqve in pedum manuumqve gesticulationibus, scapularum motationibus, capitis vibrationibus prodigiosè freqvens; incessu, vestitu, sermone & in omnibus actionibus ita ridicu-

ridiculus & histrio, ut omnem consummatissimi fatui indolem & personam exactè repræsentet: Si colloqvii res sit, ille est, qvi timet neminem, sed qvem timet nemo; ille est, qvi prosternit omnes, sed qvi modum se defendendi ignorat; ille est, qvi optimè regit eqvum, sed qvi frenos adhuc moderari nescit: ille est, qvi ginæcei applausum sibi vendicat, sed qvem à tergo famularum multa ciconia pinsit. Summa: ille est fabula vulgi, bonorum miseratio, ordinis sui macula. Si verò deambulationibus per urbem indulgeat, sine stultitiæ scenâ id non facit, modò vix gradu uno promotò ad pedisseqvos oculos rejicit, gloriosulè se prædicans, modò in calceis miracula qværit, modò indusii collare manibus terit, homo stolidus, & publicis Christianorum supplicationibus includendus. apud Lans. *de provinc. Europ. inter ipf. Princip. p. 261.* † Ita Gallus gallorum temeritatem repræsentavit, qvæ certè non minor est in vestitu, & luxu vestiario aliarum 62.
nationum, damnosior, qvi indies atqve adeò in horas innovatur, & qvod vestis genus manè gestare cœpit, vesperi pro obsoleto habetur, nimirum qvia id demum circa cultum corporis magnificum & splendidum ducitur, qvod diu magnificum splendidumqve esse non potest, ne videlicet novæ semper sumtuum occasiones desint, Henr. Stephan. *in apol. pro herod.* † Utqve hoc hominum genus temeritatem vestiariam proderet undiqvaq; unus 63.
ex illis indusia sua Lutetiâ in Belgium usqve lavanda misisse, fertur, lotrici pro mercede, testone (sex bacium nummo) in singula datô, Bodin. *en Responſe au ſieur de maleſtroit.* Huic si mores addantur Gallorum † in cibis capiendis, reprehensionem evitare haut poterunt; Putes enim, *inqvit* Dux Saxon. Rudolphus 64.
Maximilianus *dict. loc.* alios populos edere, Gallos autem vorare & glutire, qvi præ nimio cupediarum appetitu sæpiculè lingvam & digitos morsicant, & jusculis fœdè inuncti patinas non aliter ut sues trullas suas circumagitant. Leviora autem hæc sunt vitia, † qvàm qvæ ex Veneris aleâ contrahuntur, adeò Gallis 65.
consueta, ut forsan qvis perperam qvæsiverit, an in scortationes & vagas libidines animadverti debeat, postqvam juxta Franciæ mores etiam adulteria non puniantur, attestante Joh. Fabro *in §. ex non scripto. Inst. de jure nat. gent. & civil.* Ann. Robert. *lib. 1. rer.*

D *judic.*

66. *judic.cap.10.* † unde nec aula Parisiensis, Pigreterii à Ludovico Condæo urbi Præpositi severiùs in adulteros animadvertentis judicium ferre potuit, aulicis plerisq; summâ impudentiâ palàm attestantibus, se à Protestantibus semper alienos futuros, & vel ob eam causam nunqvā in eorum verba juraturos esse, qvi adulteriis hucusq; impunitis novâ & apud Gallos inauditâ severitate pœnā capitis statuerent, Thuan. *histor. lib. 35.* Ne qvidqvam de Gallorum
67. levitate, odio & sævitiâ addamus, † qvam ipsemet Gallus, Caspar Colinius *in scripto qvodam ad Regem Carolum IX.* dissimulare neqvivit, Francis hoc insitum, contendens, ut, cùm hostem extra fines non habeant, in commilitones ac concives suos sæviant, & omnes pacis artes perosi, sceleratâ mente viatores hosti-
68. liter aggrediantur, apud Thuan. *hist. 51.* unde † & illud Flandrorum adagium: *Quand le Francois dort, le diable le berle*, h. e. *qvando Gallus dormit, diabolus est motor cunarum*, Lans. *dict. loc. pag. 277.* Vitia nempè hæc sunt, qvæ Germanos, nunqvam non aliàs qvoq; morum ac levitatis gallicæ cupidos, ex consortio eorum sibi attracturos metuebat Elector Moguntinus, si Franciscus in Romanorum Regem designatus Gallos in Germaniam adduceret, ut vel propterea etiam electionem ejus meritò dissvaserit.

XIV.

69. Nec civibus saltem ac incolis Germaniæ, † sed & ipsis Principibus ac Statibus Imperii periculum hinc non minimum libertatis suę pertimescendum, contendebat *qvartò* noster Suffragator: *Multi fuerunt olim in Gallia Viri Principes*, ajebat, *nunc autem in angustum redactus est eorum numerus: nam Rex propè solus omnia tenet: animi fortitudinem ei tribuunt; sed ad Monarchiam illa spectat, nobis autem imprimis est Aristocratia retinenda.* Argumentum sanè non contemnendum, qvô statûs & libertatis Principum con-
70. servationem intendebat, † tantò majoris visum ponderis, qvantò majorem sibi jacturam inferri inde animadvertebant Coëlectores, in consortium & potestatis & majestatis Imperatoriæ recepti: Ex qvo enim recens electo Regi Romanorum non nisi sub certis conditionibus habenas Reipublicæ transferunt,
71. non omni se exuere imperio censentur, † sed qvæ natura est conditionis, sibi qvoq; partem potestatis retinent, si qvæ ex con-
ditio-

ditionibus adjectis impleta non fuerit, ut probè monet Illustrissimus Dux Saxon. *in orat. de German. Lege Regiâ, habitâ in Academiâ Salanâ.* Unde nec Principibus Imperii, imprimis verò Septemviris † majestatem cupiunt detractam, qvibus innotuit 72.
vera majestatis definitio, qvæ in summâ potestate, ceu vero suo genere acqviescit, Henn. Arnis. *de majestat. cap. 1.* Joh. Bodin. *lib. 1. de Republ. cap. 8.* Estqve hoc ipsum, qvod verbis admodum notabilibus indigitavit qvondam Erasmus Roterodamus Campegio 73.
Cardinali: † Magnam qvidem esse Cæsaris in Germania potentiam, sed hoc tamen ab omnibus non agnosci; Germanos verò, qvi agnoscerent, id certis conditionibus sic agnoscere, ut imperent veriùs, qvàm pareant, Joh. Sleidan. *lib. 8. histor.* nec dedecori id sibi dictum Carolus V. unqvam est opinatus, qvin potiùs ipsemet fassus: In Germaniá se Regibus, in aliis verò Regnis & provinciis, mancipiis ac servis imperitare, Bernh. Zieritz. *de Princip. inter ipsos dign. prerogat.* † qvod nec ignotum erat Gal- 74.
lis, Imperatori nimis licentiosè id exprobrantibus: *Pour ce, qve les Princes de Allemaigne aux qvels l'Empereur commande, tiennent lieu de Rois, entant qu'il sont loix, & qve l'Empereur ne peut rien avoir d'eux, qve ce, qu'ils veulent,* La defense *de la Monarchie Francoise. de M. I. Barricave p. 523.* Ademptum verò Electoribus iri per Franciscum, qvicqvid vel potestatis vel majestatis hinc iis competit, Elector Moguntinus præsagiebat, cui nec rigor, nec insolentia Regum Francicorum in Principes ac subditos ignota erat, † qvam 75.
& benè noverat Maximilianus Imperator, asinis Gallos æqviparans, ad onus nempe gravissimum sustinendum paratis; Principes contrà Imperii germani Reges appellitans, qvando Regem Hispaniæ hominum: Regem Galliæ asinorum: Regem Britanniæ diabolorum; se verò Regem Regum jactabat, Magn. Dux Würtemb. apud Frider. Achill. vel Lansium potiùs *in orat. pro Galliâ p. 211.* nimirùm † qvòd Proceres & Status Imperii unà cum 76.
Imperatore Rempublicam germanicam administrarent, jusqve sessuræ ac dicendæ sententiæ haberent in Comitiis, ceu Reipublicæ optimates, Matth. Steph. *de jurisdict. lib. 2. part. 1. cap. 7. n. 1.* Besold. *in tractat. de jurisdict. Imper. Roman. qvæst. 13.* † Subje- 77.
ctissimi contrà sunt tàm subditi qvàm ipsimet Principes in Galliâ,

 &in-

& indictioni tributorum atqve collectarum maximè obnoxii, qvas non in Ordinum conventibus supplicare Reges coguntur, ut alibi fieri solet, sed secundùm Reipublicæ necessitates ipsi arbitratu suo subditis præstationes injungunt, unde illud Gallorum nimis superbè dictum, Regnum Galliæ esse pratum florentissimum, in qvo pascantur infiniti ovium greges aureis velleribus, qvę tonderi possunt, qvoties pastori libuerit, Boter. *in relat. univ. part. 2. lib. 1. de Galliá.*

XV.

78. Obicem forsan hunc † Coëlectores facili negotiô removere potuissent, si, qvid à gallicis Ambasiatoribus Regis sui nomine promissum erat, recordati essent. Non ignorare scilicet Franciscum mores naturamq; Germanici populi, qvi esset libertatis suæ appetentissimus, ejusq; tuendæ ac retinendæ studiosissimus atq; acerrimus vindex; ideoq́; tàm abfuturum, ut eam Rex Galliæ minuat, profliget, eripiat, ut vel eandem semper augere, ampliorem qve reddere conetur: Eocirca ipsum non tantummodò germanicæ libertatis fore assertorem ac propagatorem, verùm etiam subditos omnes regiâ semper benignitate tractaturum esse, qvin & bonam rerum partem gesturum ex consilio & sententiâ Principum, veluti magnifica hæc & alia erant Oratorum gallicorum promissa, apud Goldast. in *polit. imper. part. 1. pag. 111.*

79. *& 112.* † Sed ne animos Coëlectorum hæc flecterent, iis neqvaqvam fidendum esse, regerit tandem Moguntinus: *Magnificis*, inqviens, *illorum promissis minimè nos oportet commoveri, nam cupiditas & ambitio plerumq; rapit homines transversos, ut ab officio*

80. *discedant*, Sleidan. *pag. 20.* Additqve Sabin. hæc: † *Non pacta, non leges plus valent, qvàm iracundia, superbia, ambitio victoris* Iniqvè contra Reges Galliarum hoc dictum putaverit, cui verba Francisci Regis sunt Evangelium; Sed qvid ille? Etiamsi fides orbe exularet, tamen Regibus tenendam esse, qvi eâ solâ & nullo metu cogi adstringiq; possent, Lips. *in monit. polit. lib. 2. cap. 13.* An fides

81. gallica caret bonis operibus? † Et qvorsum illud, toties à Gallis jactatum: Reges Galliæ non moriuntur: an Reges vivent, & fides illorum non vivet? an Reges non morientur, & fides illorum morietur? Ita qvidem Gallorum Politicus *lib. 1. de Republ.*

cap.

cap. 8. Sed nec Elector Moguntinus, † nec reliqvi Germaniæ 82.
Principes, qvorum manus sunt oculatæ, fidem hane gallicam, absq; demonstratione operum sibi patiuntur persvaderi, semper memores antiqvissimi gentis illius præconii: *Gallos esse leves*; qvod à Cæsare scriptum, à Tacito & Trebellio confirmatum, ab Italis repetitum, tàm altas in pectore Germanorum egit radices, ut evelli neqveat à Bodino, fidei gallicæ defensore acerrimo *in method. histor. cap. 5. & de Rep. lib. 5. cap. 1.* † priusqvam purgaverit 83.
Reges Galliæ à publicæ fidei lusu, qvo conventiones ac pacta Regia sine fronte & ullo pudoris judicio vacillare sinunt, sub specie juris vanissimâ, qvod Regnum non jure hæreditario, sed ex Lege Salicâ obtinuerint, nec eapropter majorum obligationibus & pactis conventis vinciantur; † qvâ ratiunculâ fallaci non semel 84.
Parisiorum Curia Reges à promissis antecessorum liberavit, Bodin. *lib. 1. cap 8.* Eâdemq; nixus Ludovicus XII. Rex Galliarum, tormenta bellica à Carolo IIX. antecessore commodato accepta, sibi fecit propria, responsô repetentibus datô, se Caroli heredem non esse. † Nec ullâ aspersa labe visa hæc fuit exceptio Francisco 85.
II. Galliæ Regi, qvi in illam Helvetiis *Anno 1559.* patris debita reposcentibus reposuerit. Scripsit enim ad istos: *Nous ne soyons tenus au payement des debtes faictes par feu nostre tres-honoré seigneur & pere, pource qve nous n' avons apprehende ceste couronne comme son heretier; mais par la loy & coustume generalement observée en ce Royaume, depuis la premiere institution d' iceluy, la qvelle ne nous oblige seulement, qu' à l' observation des traictes faicts & passés par nos predecesseurs Rois, avec les autres Princes & Republiqves pour le bien & utilité de ceste couronne*, h. e. † Non sumus obligati ad solvendum debita à Domi- 86.
no & Patre nostro laudatissimo contracta, qvia non jure hereditario, sed Lege Imperii moribus Gallorum semper & inviolabiter observatâ, regimen ad nos fuit devolutum, eaq; nos iis solummodò debitis & pactis Prædecessorum Regum obstringit, qvæ cum aliis Principibus & Rebuspublicis in commodum & utilitatem contracta fuerunt, Rudolph. Maximil. *in orat. contr. gall.* apud Frider. Achill. *pag. 205.* Sed deceptiones hæc sunt, † non 87.
apices juris, nec capiunt ea Germanorum pectora, qvibus nuda verba sunt jura ac leges, fallacem non admittentes intellectum.

Secum ea perpendens animo, votum dissvasorium Moguntinus hisce concludit verbis: *Qvare profiteor, me suffragiô meô neqvaqvam accersere Gallum ad Imperium*, Georg. Sabin. *de elect. & coronat. Caroli V. Imper.*

CAPUT II.

Votum Archiepiscopi Moguntini svasorium.

XVI.

1. HÆc cùm dixisset Albertus Archiepiscopus Moguntinus, oculos & sensa animi statim convertit in personam Caroli Austriaci, pro qvo votum eloqvitur svasorium, ipsumq; in futurum Regem Romanorum electum cupit, qvod
2. summatim hisce consignatum verbis exhibet Joh. Sleid. † *Prapotentem ergò aliqvem creandum, & Carolum Austriacum cæteris Germaniæ Principibus anteferendum esse duco, lib. 1. histor. pag. 22. Primum* scili-
3. cet suffragii svasorii argumentum à potentia Caroli voluit † desumtum, veluti clariùs exprimit Suffragatoris mentem Georg. Sabin. Ita enim ille: *Hæc atq; alia multa meum animum adducunt, ut in hac electione potentiæ rationem ducendam esse judicem, nisi Imperatorem velimus habere, qvi titulum & umbram Imperii, sine autoritate, sine viribus gerat: Imò antefero Carolum Archiducem Austriæ cæteris Germaniæ Principibus.* Qvo in genere argumenti † pro-
4. pterea multùm ipsi laborandum erat, qvod Septemvir Trevirensis Galliæ Regis Commendator, pro oppugnandâ Caroli electione potentiam parum attendendam, vel saltem in eâ, qvæ aliorũ esset Germaniæ Principum, acqviescendum contenderet, prout
5. ex suffragio ejus satis perspicuum, apud Sleid. *p. 25.* † Ac sanè ita est, qvòd in electione novi Regis Romanorum respectus major haberi non debeat ad divitias, potentiam & antiqvitatem generis, qvàm ad virtutes & animi facultates, ingeniiq; vires, qvæ primariò ad gubernationis felicitatem reqviruntur, Girol. Frachetta de Rovigo *nel seminario de governi di stato è di guerra, cap. 2.*
6. qvæ † & ipsa fuit Friderici Sapientis, Electoris Saxonici sententia,

tentia,

tentia, qvam in conventu Septemvirorum fortiter propugnavit, Herm. Kirchner. *de Republ. disp. 4. th. 3.* nec alienâ mente Moguntinus in electione Rudolphi I. Imperatoris, Gerlac. Buxtorff. *ad aur. Bull. conclus. 30.* † Specialiùs aliqvantulùm exprimit 7.
hoc Trevir de qvorundam Principum familiis; At qvid ille? *Qui fuit undecimus*, ait, *ante Maximilianum Cæsar, Rudolphus, non magnum qvidem attulit robur, sed virtute præstabat, & qvod pertenue tunc erat, multisq; bellis afflictum Imperium, ita restituit, ut vicinis Regibus metum afferret.* † *Qvàm præclarè etiam senserint exteri Principes,* 8.
ac inter hos Ludovicus XII. Galliæ Rex de Maximiliano Cæsare, solùm propter ingenium & virtutem, non ignotum vobis esse puto: nimirum fuit semper illustre Germaniæ Principum nomen & fama celebris: ea nondum est extincta, sed viget incolumis, & sunt inter alias Germaniæ tres hodie præcipuæ familiæ, Bavarica, Saxonica, Brandeburgica: sunt in iis etiam nonnulli præstantes Viri, Sleid. *loc. allegat.* † Nec, si omni- 9.
nò ad potentiam qvoq; & autoritatem respiciendum qvis existimaverit, tenuioris fortunæ sunt Principes Germaniæ, qvàm ut autoritati eorundem regiminis germanici administratio utiliter committi qveat, qvippe qvi Regibus ab ipso Imperatore fuerant æqviparati, Kirchner. *de Republ. disp. 12. coroll. 8.* ut verè dixerit Sleid. † Qvot in Germaniâ sunt Principes ac Civitates, 10.
totidem videntur esse Reges & Capita, *in Orat. ad Proceres Imp. pag. 50.* Ac nonne Maximilianus, cujus fatum hanc peperit electionis difficultatem, Princeps Imperii fuit inter Archiduces Austriæ? & tamen cùm ad Imperii fasces evectus esset, † exhor- 11.
ruit ad potentiam ejus Rex Galliæ Ludovicus, adeò ut nec metum potuerit dissimulare, Consiliarium suum Maximilianum contemtim appellantem Consulem Augustanum, hisce graviter coarguens verbis: *Tace sis, Asine, nec talia amplius effuti, qvando hic Consul tympanum pulsat, tunc tota contremiscit Gallia*, Manlius *in collectan.*

XVII.

12. Qvæ cùm mentes Coëlectorum in suspenso paululùm retinere potuissent, statim iis occurrendum duxit Moguntinus singularis potentiæ prædicatô, qvo non saltem præ Germaniæ Principibus multùm pollebat, sed etiam Regibus aliis horribilis appare-

parebat Carolus Austriacus Rex Hispaniæ, cujus præsidio tùm temporis statusGermaniæ turbulentus omninò opus habebat,ut
13. absqve potentiâ tanti Herois † nec hujus,nec alterius sagacissimi etiam Principis ingenium, virtutes,aut animi facultates suffi-
14. cere viderentur, qvod & suffragiô suô probavit † Fridericus Sax Elector, opus nempe esse Reipublicæ aliqvo præpotente,sed qvi cum Carolo sit conferendus,neminem se talem novisse,Joh. Sleidan. *pag. 25.* At qvalisnam hujus potentia: num talis,qvam nullius vel Regis alterius, vel Monarchæ superare potuisset? O-
15. mninò: † si qvid fortunarum & potestatis ex Hispaniarum regno ipsi accesserit,haud dissimulemus; Potentissimus namqve Rex Hispaniarum habetur, cujus uxor fortuna,qvæ pro dote attulit in mariti domum potentiæ perpetuitatem; Domus verò est Principis aula, illud punctum extra mundum toties ab Archimede desideratum, ex qvo Rex Hispaniæ ceu novus Archimedes Hispanicus totum terrarum orbem facilè movere, & hinc inde propellere possit, veluti evehit hanc potentiam Georgius Baro à Stubenberg apud Frid. Achill. *in Orat.*
16. *pro Hispaniâ pag. 357.* Et si comparationem † Regni hujus cum aliis subire lubescat, ipsô Galliarum defensore Bodinô fatente, à condito mundo vix ulli Imperatorum, Regum vel Principum, majus Imperium obtigit eô, qvo Reges Hispaniarum sunt potiti, decuplô majus qvàm Turcarum Imperatoris, qvi tamen non minimam in Europâ, Asiâ & Africa tenet partem; Idqve non lingvâ titubante
17. dictum fatebitur, † qvi hodiernum Regni istius augmentum ex Indiâ pensitaverit, unde nec falsò Lipsium asseverâsse credendum erit, Romanorum Imperium qvando vel maximum fuit, Hispanico minus fuisse, *de magnit. Roman. libr. 1. cap. 3.* cujus terram aliqvam, qvocunqve se die nocteqve sol vertit, semper collustrat, ita
18. † ut non aliâ de causâ Reges Portugalliæ, qvorum potentia omnis hereditario jure ad Regem Hispaniarum transit, sphæram mundi insignibus suis conjunxisse censeantur, qvam ut ostenderent, illorum Imperium in omnes

omnes mundi partes, in ortum & occasum, in meridiem & Septentrionem extendi, Petr. Matth. *in histor. Henrici IV. Regis Galliar. lib. 2. narrat. 4.* † Ac ne dubium Septemviris relinqveretur de amplissimâ Caroli Austriaci fortunâ & ingenti potestate, Comes hispanicus Hermannus Nuenarius in ipsis pro electione novi Regis Romanorum indictis comitiis, jactare veritus non est, qvòd Carolus triplici Hispaniæ latissimæ & opulentissimæ provinciæ justissimè dominetur, atqve augustissimè præsit. Qvòd mediterraneum mare ex Hispaniis usqve ad Creten Asiæ insulam suis classibus naviget: Qvòd Sardiniam, Corsicam, Siciliam, Neapolim, Calabriam, Apuliam, Mauris Turcisqve summâ virtute tueatur: † Qvòd maximam Africæ partem juxta Atlantem montem à columnis Herculis, & initio Gadium usqve ad tripolim, atqve Carthaginem tributariam possideat: Qvòd tantâ sit felicitate, ut huic plus uno die terrarum fortuna contulerit, qvàm potentissimi aliqvando Reges & expertissimi Duces bellô subjugare longo tempore ac diuturno labore potuerint, *in orat. ad Principes Electores habitâ*, qvam refert *ex Protocoll. german. electionis Caroli V.* Goldast. *in polit. Imp. part. 1. tract. 6. pag. 117. in fin.* 19. 20.

† Longum hinc illud titulorum agmen, Hispanici Imperii insigne summum: Por la gracia de Dios, Rey de Castilla, de Leon, de Aragon, de las dos Sicilias, de Jerusalem, de Portugal, de Navarra, &c. qvod multùm Gallis dolere, ait Stubenberg. *citat. loc.* Nec parùm ex novorum titulorum accessionibus id auctum, si qvam horum copiam ipsemet Carolus Austriacus instructioni seu mandato procuratorio Commissariis ad Electores ablegatis dato præmiserit ac recitaverit, attendamus; Ita enim illud habet: 21.

† Carolus Dei gratiâ, Rex Castellæ, Aragonum, Liguriæ, utriusqve Siciliæ, Jerusalem, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murtiæ, Giennæ, Algarbii, Algezire, Gibraltaris, ac insularum Canariæ, nec non insularum Indiarum & terræ firmæ, maris Oceani, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Luzenburgiæ, Geldriæ, Calabriæ, Athenarum, Neopatriæ: Comes Flandriæ, Habspurgiæ, Tyrolis, Barchinonæ, Ar- 22.

 thesii,

thesii, Burgundiæ; Palatinus Hannoviæ, Holandiæ, Seelandiæ, Ferretis, Niburgii, Namurci, Rossilioris, Ceritaniæ & Zutphaniæ; Landgravius Alsatiæ; Marchio Burgaviæ, Oristani & Goceani, ac sacri Romani Imperii: Princeps Cathaloniæ, Asturiæ &c. *in dict.*
23. *protocollo elect. Caroli.* † Hisce si Imperatoris Romani titulus accesserit, qvis Regum ac Magnatum potentiam Caroli non miraretur? Qvis non tantum splendorem veneraretur? Parum autoritatis forsan & potentiæ tot inesse titulis qvis dixerit, postqvam apud vulgum qvidem nomina ac tituli sint res speciosa,
24. † apud rerum verò agendarum expertos, nuces cassæ, ut hinc prudentissimè Cosmus Florentiæ Dux: *A un Principe non conviene ambir l' excellenza di titoli sopra gli altri, ma che deve contentarsi della*
25. *la Possanza in vece di titolo,* Christ. Besold. *1. polit. 5. n. 7.* † ac rident & contemnunt somnia illa Principes alii, qvi non multis ditionum nominibus sibi abblandiri satagunt, sed verè possident, Petr. Gregor. *lib. 6. de Republ. cap. 11. num. 13.* At tituli ac nomina Caroli Hispaniarum Regis neqvaqvam nuces cassæ fuerunt,
26. † sed magnæ autoritatis ac summæ potestatis insignia, qvæ reditus pollicentur ingentes: Unicus enim ille est Rex Hispaniarum Catholicus, inqvit Joh. Boterus, inter cujus & Ottomannicas vires non est magnæ æstimationis differentia: Reditus Regis, qvos in Europa habet, excedunt reditus Turcæ, accipit namqve plus qvàm qvatuor auri milliones ex ditionibus, qvas in Italiâ & Sicilia hábet: plus qvàm duos ex Lusitaniâ: ex terris novis plus minus qvàm tres milliones, unum annum pro altero æstimando. Hæ accepti partes æqvant reditus Turcæ; & illo longè erit superior, si iis junganturordinarii reditus Castiliæ, Arragoniæ, Belgii
27. &c. † Ne qvidqvam addatur de subsidiis populorum non tàm voluntariis & extraordinariis, qvàm ordinariis & necessariò præstandis, nempe Cruciatis, (ut vocant) qvibꝰ ærario lucra inferuntur ingentia: sunt etiam subsidia Ecclesiæ, qvibus ipse centum fortes triremes sustinere valet: Cadiva officia, qvæ in Hispaniâ & Regno Neapolitano multò plus reddunt, qvàm qvis credere posset. Accedunt hisce donaria tàm ordinaria qvàm extra-
28. ordinaria; † Regnum Neapolitanum dat qvoqve tertiò annô plus minus unô millione, & ducenta aureorum millia, qvæ

summam

ſumma non eſt parvæ conſiderationis. Sicilia, Sardinia, Ducatus Mediolanenſis, Caſtilla & aliæ ditiones, etiam novus orbis mittunt ſuis temporibus magnifica donaria. † Quid de contributionibus? Caſtilia annô elapsô Regi contributionem octo millionum aureorum qvatuor annis perſolvendam conceſſit, qvæ ſumma totius Imperii Turcici cenſum unius anni æqvat &c. Joh. Boter. *in Commentariolo parall. ſive libello aſſertorio*, qvo Principum duorum monarchiſantium vires, opes, provinciæ atqve forma, eas bene adminiſtrandi & regendi tempore pacisqve belliqve, explicantur, armaqve & arcana deteguntur infinita, ubi inſignem potentiæ & facultatum Hiſpanicarum ponit effigiem. 29.

XIIX.

Potentiam † Caroli Auſtriaci cùm in ſcenam ita produxiſſet Archiepiſcopus Moguntinus, ad ſpecialiorem hujus effectum progreditur, qvo *ſecundò* Regimini publico in Germaniâ conſultum exiſtimat contra bella inteſtina; Præmiſſis enim horum aliqvot exemplis, hiſce infert formalibꝰ: *Id ſi tùm accidit, qvid hodie ſit expectandum, videtis, qvum ſtipendiis erunt alii Principes aliis addicti. Mitto, qvàm multa poſſint incidere cauſæ, qvamobrem obedientiam præſtare Principes atq; civitates recuſent.* Verba hæc refert Joh. Sleidan. *lib. 1. comm. pag. 21.* † qvod paululùm aliis conſignavit Georg. Sabin. Ita enim ille: *Qvid? qvod ipſi Principes Germaniæ, ut nunc ſunt mores, ſpretô ſuo Imperatore, alii ſe cum Auſtriacis, alii cum Gallis conjungunt. Ut igitur lepores dicuntur fruſtra concionari leonibus: ita ſedebit noſter Imperator (ſi nempe potentiâ ac facultatibus ſit deſtitutus:) velut lepus edicta componens Leonibus; videlicet iſtis Regibus, qvæ edicta derideant extera nationes.* Et poſtea: *Qvid nunc fieret, cùm exteri Reges haberent alii alios Principes ſtipendiis obligatos? Et qvàm multa incidere poſſunt cauſæ vel Principibus vel civitatibus detrectanda obedientiæ?* Sabin. *de elect. Caroli V. Imp.* De argumenti † hujus præſtantiâ non qvidem ambigendum, maximopere tamen optandum, ne unqvam fiat, ut Cæſar potentiam ſuam in Principes & Status Imperii exercere, bellaqve inteſtina prævenire neceſſum habeat, qvod nec facilè metuendum qvis forſan putaverit propter jusjurandum ſive homagium, qvo Imperatori Principes ſunt obligati. † Ita eqvidem ſuſpicioni con- 30. 31. 32. 33.

trariæ locus nunqvam foret dandus, nisi exempla contrariū evincerent, ac vel saltem ea, qvæ Moguntinus Imperii Archicancellarius in recitatione voti sui ex historiis antiqvis in memoriā revocavit, apud Sleid. *loco allegato*, qvæ altiùs repetere supersedemus.

34. mus. † Rariùs verò hoc accidere, spes foveret nos pulcherrima, si non essent, qvi Principes contra Imperatorem vel excitarent, vel jam excitatis calcar adderent, qvo in officii genere promtissimum se præbet inter alios nominatus ille Hippolitus à Lapide, qvi defendendi partes in se propriâ suscepit sponte, & subtili qvodam discrimine qvalitatis Imperatoriæ ipsos multùm

35. juvari contendit, † nempe si Imperator vel absolutè seu simpliciter, vel respectivè, qvatenus Imperator est, boni Imperatoris vice fungitur, ac Imperio ritè secundùm leges præscriptumqve modum præest, consideretur, *in dissert. de rat. stat. part. 1.*

36. *cap. 7.* † Ex qvo, nescio qvid non prætextu aliqvo, & sub specie legitimi processus, moliri qveant subditi adversus Magistratum; Res enim eò deveniet tandem, ut qvamprimùm unus vel alius Princeps Cæsarem facti alicujus contra libertatem aut leges Patriæ fundamentales insimulaverit, hôc ipso licentiam sit assecutus insurgendi contra unctum Domini, titulô & honore

37. Imperatoris demtô, † perinde ac olim svasor qvidam fuit in parili attentato Protestantibus adversus Carolum Austriacum, in Imperatorem jam designatum: Es sey von nöthen / daß sie ihm den Käyserlichen Titul abstricken / und er genennet werde ein König in Hispanien / und daß sie lassen des Reichs *Baner* fliegen / und nennen ihren Krieg des Reichs Krieg / und das zubeschützen vor dem unbilligen fürnehmen des Königs aus Hispanien. Wann sie ihme diesen Titul nehmen würden / alsdann würde Er geschwächt umb zehentausend Mann / und Er und seine Räthe und Volck darob ein erschrecken haben / apud Frider.

38. Hortleder. *vol. 2. de bello german. libr. 3. cap. 26. n. 3.* † in qvo sibi placet autor prædictus *dict. part. 1. cap. 9. sect. 1.* eoqve ipso conscientiæ etiam satis consultum arbitratur, ne qvis contra homagium qvidqvam agere videatur, restringens illud ad eam tantummodò qvalitatem, qva officium suum facit Imperator,

leges

leges sibi præscriptas præcisè observans, † licèt nec jusjurandum principaliter Imperatori, sed saltem secundariò ac in consequentiam ratione & intuitu Imperii, quatenus nempe Imperator est, præstitum fuerit, *dict. cap. 7.* Sed hæc omnia ex præsupposito, † nō aliter ac si Cæsarea Majestas criminis alicujus vel confessa vel convicta jam esset; Qvis verò potestatem judicandi concessit Principibus bella intestina moventibus, contraq; Imperatorem insurgentibus, qvam ex præscripto Aureæ Bullæ Collegio Electorali vel Comiti Palatino novimus indultam? Qvis Imperatorem nondum auditum condemnavit? † Unde potestas cognoscendi in causâ propriâ, eamqve determinandi? Schola sanè JCtorum, qvos contemtim Hippolitus à Lapide vocitat Legistas, dogma illud non agnoscit. Et si Politicorum qvisqvam illud probatum iverit, † fenestra rebellioni bellisqve intestinis procul dubio aperta erit; qvomodo verò illa compescet Imperator facultatibus & potentiâ destitutus? Non magis forsan, ac si Lepus imperaret Leonibus, judice Moguntinô, *suprà n. 13.*

39.
40.
41.
42.

XIX.

Progreditur ulteriùs † Suffragator noster in hôc argumenti genere, ac *Tertiò* firmum inde pollicetur præsidium contra Turcica arma, qvo de ita Sleidan. *Superest qvoqve Turcicum bellum, qvod nobis planè non modò defendendum, sed inferendum est etiam, ut amissa recuperemus, & Græciam imprimis libertati restituamus, hoc autem ut fiat, opus est multarum Nationum copiis: Eas verò Cæsar, si potentiæ parum & autoritatis habeat, qvomodo comparabit? pag. 22.* Verbis clarioribus hoc exprimit Georg. Sabinus, † Moguntinum ita ratiocinantem repræsentans: *An existimatis eum non venturum esse, ut Austriæ, qvæ verè ei patria est, opem ferat, cùm vel in Pannoniis, vel in ipsa Austriâ Turcicas legiones vagari audiet: Ille verò magno animo accurret, ut & patriæ & toti orbi Christiano opem ferat*, Hactenus Sabin. † Haut potentiorem scilicet contra impetus Turcorum hostiles existere Principem in Europâ, qvàm Carolum Austriacum, opinabatur Imperii Archicancellarius, cui potentia Regum atqve Magnatum occulta vix esse potuit, qvod nec facilè qvisqvam tum-

43.
44.
45.

temporis in dubium vocâsset, qvippe de Carolo veriùs forsan, qvàm de Rege Gallorū Childeberto dixisset Honorius III. cū sese oppositurū esse tanqvā murū in expugnabilē pro populo Christia-
46. no;† vel de regno Galliæ Gregorius IX. esse illud qvasi pharetram, qvam Christus sibi circa femur accinxit, ex qvâ sagittas electas extrahens, ipsas, ut sibi gentes & regna subjiciat, in arcu brachii potentis emittit, Joach. Ernest. Dux Holsat. *in orat. pro Gall.* apud
47. Lans. *in consult. de provinc. Europ. inter ipsos Princip.* † Carolum sanè Burgundiæ Ducem ambitiosè qvondam jactâsse legimus, unicum se futurum Principem, qvi ab Oceano Britannico ad superum atqve inferum mare, productis Imperii finibus, Christianam Rempublicam ab immani Turcarum tyrannide exercitibus in Græciam & Macedoniam transportatis vindicaret, Ludov. Viv. *de concord. & discord lib. 1.* Theod. Zwing. *vol. 1. theatr. vit. human. lib. 4.* Ventur. de Valent. *in partb. n. litig. libr. 11. cap. 7.*
48. *n. 7.* † Sed credere id noluerunt Legati hispanici, qvorum nomine Hermannus Nuenarius Comes jactantiam illam hisce elusit verbis: Per Deum immortalem, ô Illustrissimi Principes, nolite credere, qvenqvam mortalium timeri hôc tempore à Turcis, nisi Carolum Regem: Nolite opinari, præter hunc superesse qvenqvam, qvi hujus tàm periculosi & ancipitis belli pondus sustinere
49. qveat. Hunc missis epistolis de pace atq; induciis sollicitât:† Hunc totius Europæ potentissimum esse palàm fatentur: Hujus jam vires in Africâ magna suorum clade experti sunt: Hujus classem in mediterraneo mari obviam semper habent; cum hoc sibi rem esse conficiendam vident: Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Calabriam, Apuliamq; ex Epyro ac totâ proinde Græciâ procul despiciunt, suoq; furori objectas esse vehementissimè dolent: Perviis autem Pannoniis, qvantum itineris spatium interjacere putatis, si ex Mœsiâ aut Macedoniâ in Germaniam Turca expeditionem paret? *in*
50. *orat. ad Septemviros pro eligendo Carolo in Regem Romanor.* † Nec parum adjumenti huic accedit, qvòd Regna domûs Austriacæ reputētur murus totiꝰ Germaniæ, immanitati Turcicæ oppositus, Joh. Sleidan. *lib. 7. ad fin.* ut qvocunq; tandem se verterint Electores, alios inter Principes haut potentiorem ad repellenda Turcorum arma, & recuperanda jam antea ablata, reperire potuissent,

† qvod

† qvod & postea communi Electorum votô ac nomine Moguntinus publicâ oratione populo hocce verborum tenore intimavit: *Videmus autem fatô qvodam hôc tempore duas bellicosissimas Nationes conjunctas esse, Germanicam & Hispanicam: Ac tenet Carolus Austriacus magnam Italiæ partem, ita si omnium gentium consiliis Dux adversus Turcas eligendus esset, haut dubiè omnium votis expeteretur, & omnium suffragiis designaretur Imperator Carolus.* Georg. Sabin. *allegato loco.* 51.

XX.

Suspectum nihilominùs videbitur suffragium † Moguntini, si qvam intendit recuperationem eorum, qvæ Turca olim abstulit, exactiùs pensitemus. Cùm enim valdè sit periculosum, à tàm potente adversario & hoste repetere amissa, qvæ jam ante tot annos occupavit, fieri haut poterit, qvin Germania infinitis implicetur motibus bellicis, si non totalis inde orbis Christiani ruina sit pertimescenda; Ex qvo sanè qvàm parum commodi civibus Imperii Romani ex potentiâ Caroli Austriaci fuisset expectandum, satis expeditum videtur. † Nec unqvam defuère, qvi bellum hanc ob causam contra Turcos intentandum dissvaserunt, inter qvos etiam B. Lutherum refert Bellarm. *lib. 3. de Laicis cap. 16.* & qvàm difficilis fuerit ipsemet Carolus Austriacus, postea Imperator designatus, ad recuperandam Hierosolymam excitatus à Rudolpho Saxoniæ Duce tum temporis, qvo maximâ pestilentiæ vi Oriens hominibus propè esset exhaustus, † responsum ejus luculenter testatum facit. Præclarum scilicet institutum hoc fore, sed à multis ante se Pricipibus infeliciter tentatum, ab aliis verò feliciter qvidem, at propter successorum ignaviam magnô sudore parta, brevi ab impiis denuò recepta fuisse: neqve ullam vel recuperandæ vel retinendæ Terræ sanctæ rationem fore, nisi priùs id agatur, ut Imperium orientale à perfido Græculo possessum, Occidentali jungatur. Dubrav. *in histor. Bohem. libr. 22.* Zwinger. *in theat. vit. human. vol 7. lib. 4.* †. At num propterea in occupatione ablatorum & possessione Turcorum injustissimâ acqviescendum? num pro derelictis habenda, qvæ sine difficultate, sumtibus & molestiâ repeti haut possunt? Nec Lutherus, nec Carolus V. hoc unqvam cogitavit, † sed pietate ac providentiâ bellum hoc,

52. 53. 54. 55. 56.

hoc, qvod & pro recuperatione ablatorum verè defensivum di-
57. citur, suscipiendum uterqve svadet ac jubet: † Ille qvidem,
ne absq; verâ pœnitentiâ ad bellum properetur, nec bullis ac in-
dulgentiis papalibus expeditionem suscepturi nimiùm tribuant,
veluti mentem suam explicat *in assertô articulorum à Leone X. Pon-*
58. *tifice damnatorum, art. 34. tom. 2. latin.* † *Tot jam annos,* inqvit,
passi sumus nos deglubi per impostores & Legatos Romanos, toties ad
bellum Turcicum indulgentiis ac facultatibus impudentissimè venditis,
pecuniam & substantiam nostram devorantes; Et rursus: *Qvantò*
rectius faceremus, si primum orationibus, imò totius vitæ mutatâ ratione,
Deum propitiū faceremus. Prudentiā verò Carolus Imperator ad ne-
59. gotium tanti momenti reqvirit, † ne, ut ab Antecessoribus
factum, arma minùs feliciter ac frustra susciperentur, qvod lati-
ùs demonstratum dederunt Auger. Busbeq *in cons. de re milit. con-*
tra Turc. inst. fol. 323. & seqq & Joh. Boter. *in comm. parall.* Impri-
mis verò notatam voluerunt Principum Germanorum concor-
60. diam, † qvam multis urget Phil. Camer. *cent. 2. oper. subcis.*
cap. 23. & Simon Wolder. *in scripto*: Wie ohne sonderliche be-
schwerde der Obrigkeit / auch der Unterthanen / der Christenheit
Erbfeind / der Türcke zu Wasser und Lande zuüberziehen und zu-
überwinden were / apud Goldast. *tom. 15.* der Politischen Reichs-
61. Handlungen *pag. 505. & seqq.* † qvâ mente etiam fuit Sigis-
mundus I. Rex Poloniæ, à Leone X. ad bellum adversus Turcas in-
vitatus: *Qvid multis?* respondit, *Fac, Principes Christiani concor-*
des sint, ego pro meâ parte non deero. & succinctè nervum rei tangit
62. Joh. Boter. Imperii turcici incrementum decantans, † qvod
à parvis initiis in magnitudinem Principibus Christianis extime-
scendam excreverit per arma, qvibus Germanorum discordiæ
ipsis percommodæ utilesqve fuerint, ansamqve præbuerint, *in*
dict. comm. paral. apud Goldast. *in polit. Imper.* Obstaculô hôc remo-
tô, Carolum V. Imperatorem à bello turcico abstinuisse tantum
63. abest, † ut non modò promissum de recuperandis ab Imperio abla-
tis juramentô suo firmaverit, Sleid. *lib. 1. hist. pag. 29.* sed & in ef-
fectum id deducere sibi proposuerit, prout fidem facit *Recess. co-*
mitior. Imper. Wormatiens. de anno 1521. ibi: Und als wir in unser
Käyserlich Gemüth gesetzet und fürgenommen haben etc. dasje-
nige

nige/ so dem Reich entzogen/ und lange Zeit in frembden Händen gewesen/ wiederumb zuerobern und zum Reiche zubringen. † Nec enim laudatissimus hic Cæsar tantæ vecordiæ arguendus, ut neglexisse videri debeat bellum, qvod pro utilitate & salute Imperii jure suscipere potuisset, qvale omninò id fuit ex voto nostrorum JCtorum, qvi justissimam belli gerendi causam judicant † vindicatoriam, qvando Princeps spoliatus pro rerum suarum vi ab aliis detentarum & ablatarum recuperatione, alterius ditiones invadere intendit, *can. qvod militare. 23. qvæst. 1.* Althus. *in polit. cap. 7. & 29.* Henr. Bocer. *libr. 1. de bello cap. 6.* Didac. Covarr. *in cap. peccatum 2. part. relect. §. 9.* Et † Sarracenis, Turcis, aliisqve populis infidelibus bellum ab Imperatore justissimè indici, maximè pro recuperatione terræ sanctæ, docuerunt Bartol. *in l. Christianis. 6. num. 2. & 3. C. de pagan.* Oldrad. *cons. 72.* Nicol. Boër. *decis. 178. num. 7.* Fridericus Schenck Baro à Tautenbergk *in tit. 28. in pr. FF. 2.*

64. 65. 66.

XXI.

Satis declaratâ Caroli potentiâ circa defensionem Imperii ejusqve conservationem, provinciarumqve ablatarum recuperationem, † pergit Elector Moguntinus, & qvid commodi 67. *Qvartò* in causâ Religionis rebusqve ecclesiasticis inde sperandum, exponit, qvod à Joh. Sleidano hisce notatum verbis: *Nunc etiam de Religione videntur imminere gravissimi motus: Etenim de indulgentiis de potestate Pontificis, de legibus ecclesiasticis nata sunt disputationes, qvæ nunc qvidem sanabiles adhuc videntur, sed paulò pòst magnam secum trahent ruinam, & Ecclesiæ mutationem: nam & pleriq; subscribunt, & gentes fortissimæ causam hanc agunt,* † *Saxones ac* 68. *Helvetii, neqve sanari malum istud poterit, nisi per Concilium; Imbecillior autem Cæsar qvomodo Concilium vel coget, vel etiam defendet, maximè si cæteri Reges adversentur,* Sleidan. *pag. 21. & 22.* Genuina est hæc confessio ipsius Archiepiscopi & Archicancellarii inter alios Pontificiæ Religionis antistites & defensores præcipui, † qvâ bonam eqvidem fovet causam, sed 69. contra ipsos Pontificios, qvi omnibus eò intendunt viribus, ut Imperatori ac Magistratui politico judicium de Religione ac

 potestas

70. potestas ecclesiastica è manibus eripiatur, † qvò vel id, qvod totius est Ecclesiæ, sibi solis sumant, vel viam fraudes suas manifestandi, & ad veritatem verbi divini ac sinceriorem & orthodoxam religionem deveniendi, Principibus præcidant, qvâ in re anxii sunt Bellarm. *lib.1.de pontif. Roman. cap.7. lib.3. de Laicis cap.17.* &
71. Stapleton. *repet. scholast. cent.2. qvæst.5. art.1.* † multùm urgentes conditionem ovium, qvarum nulla est jurisdictio ac potestas in gregem, sed solis Pastoribus reservata, qvippe qvibus Christus Spiritum veritatis promiserit, qviqve exercitatos in Scripturis habeant sensus, verbumqve prædicent, & Sacramenta dispensent,
72. † specioso satis fundamentó, qvod & probabile visum fuit B. Luthero *tom.2. contr. art. Lovan.* Haut parùm interim potestatem Ecclesiæ internam cum externâ confundentes, repudiatô omni hujus discrimine, non absqve ingenti errore, undè alia pullulant
73. dogmata satis periculosa. Nolumus enim † Magistratum politicum tantummodò ut ovem in Ecclesiâ considerari, qvi ratione potestatis externæ verus habetur Pastor: qvalem se professus est Const. ntinus Magnus, hôccé responsô Episcopis datô: *Vos estis Episcopi in Ecclesiâ, ego extra Ecclesiam seu templum Episcopus à Deo sum constitutus*, Euseb. *lib 4. cap.24. de vit. Constant.* Dav. Par. *in tract.*
74. *de jur. Princip. contr. Pap fol.72. & ad cap.13. Romanor. fol. 1391.* † cujus titulum ipsimet D. o acceptum ferunt, nutritii Ecclesiæ vocati, *Esai.49.* ac populi Pastores, *Esai c44. vers.28. Jerem. 49. vers.19.* nec non ad muros Ecclesię ædificandos, *Esa.60.* & ad restaurandas templi
75. pli ruinas constituti, *2. Reg.12. vers. 5. & seqq* † negligentiæ igitur non possent non accusari Principes, si potestatem politicam non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium sibi concessam ita coarctare sinerent, Hugo Grot. *in pietat. Holland.* nec sine violatione juris ecclesiastici majestatis id fierit, qvod vulgò sacratum jus Principum nuncupatur, Arnold. Clapmar. *de ar-*
76. *can. Rerumpubl. lib.1. cap.15.* † Qvod itidem agnoscens B. Lutherus, ad Carolum Imperatorem designatum scripsit, se confugere ad supremum, tanqvam ad aram præsidiumqve, orans, ut doctrinæ Christianæ tutelam suscipiat, idq; se facere exemplô Athanasii, Sleidan. *lib. 2. histor.* ac postea ad Fridericum Saxoniæ Ducem refert, vehementer sibi gratum esse, qvòd Cæsar causæ Religionis

cogniti-

cognitionem recipiat, Sleid. *dict. loc. pag. 55.* † Hanccé ergò 77.
potestatem contra ipsos Pontificios tuetur Septemvir Moguntinus votô suô, à qvo ne latum ungvem recedit Trevíricus, hisce illi subscribens verbis: *Talem Respublica desiderat, qui prater alia constituat & emendet Ecclesia statum; qvod Moguntinus etiam prudenter admonuit*, Sleidan. *cit. loc. pag. 24.* Eidemqve suffragio Septemvirali, ceu fulcro firmissimo aliud innititur Politicorum nostratium
dogma, † qvo non Papæ, ut jactat Bellarmin. *lib. 1. de concil. cap. 19 &* 78.
20. sed Imperatori jus indicendi Concilia generalia, iisqve præsidendi adsignant, Dav. Par. *dict. tract. de jur. Princip. contra Pap. f. 108.* Christ. Besold. *de majest. sect. 2. cap. 5. in pr.* idqve verbis sat expressis
fassus est Moguntinus hôc suo voto; † qvod non tàm noviter di- 79.
ctum, qvàm ex antiqvitate repetitum videtur, ex qva Concilium Nicenum à Constantino Imperatore, Euseb. *lib. 3. cap. 6. de vitâ Constant.* & Chalcedonense à Cæsare Martino indictum, discere
licet, *l. 4. C. de summ. Trinit.* † suoq; hinc jure usus est Imp. Justinianus, 80.
unumqvemq; ArchiEpiscopum singulis annis Synodos celebrare, & Episcopos ad se convocare jubens, *Novel. 123. cap. 10.* Abeant
ergò Pontifices, † qvi jus hoc Majestatis Imperatoriæ sibi vendi- 81.
care haut erubescunt, *in distinct. 17.* Abeant etiam horum adulatores, qvi ne Magistratum politicum à jure hôc penitus excludere
censeantur, per † viam saltem reqvisitionis vel monitionis, non 82.
verò citationis & auctorizationis aliqvid potestatis ei indulgendum autumant, si nempe Pontifex negligens existat, nec qvod sui est officii, faciat, Anton. de Rosell. *de potest. Imper. & Pap. part. 3.* qvam distinctionem suffragium Moguntini Electoris neutiqvam
admittit; † & proprio jure potestatem hanc Imperatori 83.
competere, verissimè dixit Fridericus I. apud Radevic. *lib. 8.* Constrictius tamen est hodie jus illud sacratum Imperatoris, seu Majestatis ecclesiasticum apud Principes & Status Imperii Augustanæ
Confessionis, qvibus † illud unà cum aliis juribus Episcopali- 84.
bus cedit, ex pacificatione Religiosâ, *Recess. Imper. August. de anno 1555.* § und nachdem. Unde in provinciis suis insalutatô etiam Imperatore, tàm pro conservandâ doctrinæ Evangelicæ puritate & concordiâ, qvàm pro retinendâ disciplinâ ecclesiasticâ & evitandis scandalis, nec non ritibus ecclesiasticis probè observandis,

 Syno-

Synodos, convocatô suæ ditionis Clerô celebrare possunt, Theodor. Reinking *de regim. secul. & ecclesiast. libr. 3. class. 1. c. 4. num. 1. & 2.*

XXII.

85. Qvo autem prætextu † à Carolo potiùs Austriaco, qvàm Francisco Galliarum Rege Concilium generale cogendum existimaverit Elector Moguntinus, nondum satis expeditum est; sive enim ipsam Religionem catholicam, sive hujus fervorem attendi velimus, parilis utriusqve videtur fuisse ratio. Etsi enim
86. † ille titulô Regis catholici superbiat, honoratus eô à Pontifice Johanne IIX. ob studium singulare in defensione ac propagatione Religionis catholicæ demonstratum, Chopp. *de sacr. polit. fo-*
87. *rens. lib. 1. tit. 7. n. 18.* † habet tamen & Rex Galliarum, de qvo glorietur, Christianissimus vulgò nuncupatus ob singularem de Ecclesia habitam sollicitudinem, Estienn. Pasqvier *livr. 3. de recherches de la france, chap. 14. p. 268.* qvo titulo subditos etiam dormientes excitari jactant ad obedientiam Regi præstandam, L'
88. autheur *d'utile & salutaire advis au Roy pour bien regner.* † ac merita forsan majora in Religionis causâ qvis dixerit Gallorum, si qvot leges, qvot edicta jam supra annos plus qvàm mille ad coërcendum ac refrenandum abusum Religionis & supergressiones Ecclesiasticorum ipsorum Pontificum Romanorum Reges Galliarum sanciverint, pensitaverimus, de qvibus Molina *de Monarch.*
89. *Franc. num 99. & 139.* † unde encomium à Pontifice Gregorio IX. Regi Galliæ decantatum: Esse illum Christianissimum inter omnes Christianos; Nec non ab Urbano IV. Regem Galliæ esse Principem inclytâ devotione præclarum; Principem Christianissimum præcellentium meritorum, Athletam Christi strenuum &
90. sollicitum fidei Christianæ defensorem. † Ac unde indulgentiæ per dies centum à Clemente Papâ iis concessæ, qvi pro Rege Galliarum orant, nisi qvòd Religiosissimum habuerint eum Pontifices, Joach. Ernest. Dux Slesuici-Holsatiæ *in orat. pro Gall.* apud Lans. de qvâ laude tamen Rex Hispaniarum vix participabit qvid-
91. qvam, si non majorem Religionis fervorem, † qvàm Hispanorum vulgarem demonstraverit, qvos vestimentô duntaxat Religio-

gio-

gionem, non intimô cordis affectu æstimare, dixit Mauriscorum Rex Ferdinandus Valerius apud Thuan. *libr. 48. histor.* spe omni mentis melioris ademtâ, si haut abstinuerint vestigia premere antecessoris, Regis alicujus Hispaniarum, † qvi cùm à Deo 92.
esset castigatus, tàm impatienter id tulisse fertur, ut injuriam se ulturum juraverit, & mox edixerit subditis, ne proximô decenniô Deum adorarent, nec crederent in eum, nec de eo loqverentur, Essais de Michel. de Montaigne *livr. 1. chap. 4.* † qvo dicteriô 93.
non tàm stultitiam, qvàm insitam genti Hispanicæ vanitatem ac religionis contemtum Galli depictum cupiunt, Georg. Frider. Limpurg. Baro *in orat. contra Hisp.* apud Lans. *in consult. de provinc. Europ. inter ipsas princip.* † Religionis verò ardorem si demonstrare Hispani allaboraverint, mox ruent in aliud extremum, eam tyrannicè potiùs laqveo & igne tuendo, qvam gladiô 94.
verbi divini propugnando. Unde originem suam traxit Inqvisitio Hispanica † seu ratio disputandi sangvinaria, qvæ magis 95.
tortoribus, lictoribus & carnificibus, qvàm Apostolis & Ecclesiæ doctoribus convenit, Limp. Baro *dict. orat. contra Hispan.* ac proptereа Anglis odiosa, Svecis horrenda, & Hungaris portentosa, Cran. *de pac. Relig. part. 2. probl. 2.* † qvam prudentissimè 96.
repudiàrunt Veneti, Nuncium apostolicum jussu Pontificis inqvisitionem ipsis aliqvando obtrudere volentem, hôc remittentes responsô: Velle se in Religione peccantes punire, sed non Hispanorum more, Joh. Sleid. *libr. 19. histor.* † Qvo in bivio 97.
Septemvir Trevericus feliciorem Ecclesiastici statûs emendationem à Francisco Galliarum Rege expectandam Coëlectoribus persvadere sustinebat, votum Moguntini contra Carolum hisce retorqvens verbis apud Sleidan. † *Talem Respublica desiderat,* 98.
qvi præter alia constituat & emendet Ecclesiæ statum, qvod Moguntinus etiam prudenter admonuit, hoc sane Franciscus Rex omnium rectissimè poterit præstare: nam & ingeniô valet & judiciô, & de Religione subindè cum doctis hominibus conferre solet, & legit ipse multorum scripta, lib. 1. hist. pag. 24. † Qvaliacunqve verò tandem hæc 99.
sint, votum tamen Moguntini Archiepiscopi haut potuerunt remorari, ut qvi non tàm fervorem Hispanorum in Religione, qvàm Caroli potentiam & autoritatem in emendando

Ecclesiæ statu tum perturbatô respexerit, si regrediamur ad ejusdem verba, qvibus ab Imperatore Carolo imbecilliore circa Ec-
100. clesiæ statum nil effectum iri præsagiebat. † Nec fefellit ipsum opinio, postqvam ab eo cautum fuit *Anno 1552.* per transactionem Passaviensem, ne propter religionem in posterum cuiqvam inferretur molestia, Sleid *lib.24 histor.pag.784.* Warem. ab Erenb. *in medit. fœder. p.223. & 261.* Samuel à Remching *de pac. Relig.*
101. apud Goldast. *in polit. Imper. part. 30.* † Illoqve adhuc regnante, ac vices ejusgerente Ferdinandô fratre Romanorum Rege, Palladium illud Germaniæ, Pacificatio Religiosa *Anno 1555.* prodiit, licet priùs in favorem Pontificis, qvem in partes suas contra
102. Gallum trahere intendebat, † duriusculè contra Lutherum egerit, fulmenqve proscriptionis decreverit, Sleidan. *lib. 3. comm.*
103. *pag. 66.* Goldast. *Const. imper. tom. 2. fol. 143.* † Nullâ autem vi Carolum V. ad hoc adactum, nec potentiam ejus, arma Principum Germanorum superâsse, ut fingit Auct. autonomiæ *part. 3. cap. 13. ac passim.* & Joh. Paul. Wideck. *in prognost. de futur. Eccles. stat. pag.*
104. *326.* † Sed scienter, volenter, verô paternoqve affectu omnia ad securitatem Religionis peracta fuisse, satis perspicuum est, si qvid in prioribus Comitiis ipsemet fassus, haut dissimuletur, *Recess. Ratisbon. de anno 1531. & de ann. 1541.* Ex qvo etiam famam
105. laudemqve æternam apud posteros verè promeritus, † qvòd pacis in Ecclesiâ constituendæ auctor fuerit & promotor, Laz. à Schwendi *in discurs. de admin. Imper. Roman.*

XXIII.

Firmiori ut statuminaret fulcrô votum suum Archiepiscopus Moguntinus, progressum *Quintò* facit ad aliud argu-
106. mentum svasorium, † & qvo antea viam ad fasces Imperii germanici Francisco Galliarum Regi præclusam contendebat,
107. eo jam Carolum juvare annititur : † *Nam & origine*, inqvit, *est germanus*, apud Sleid. *pag. 22.* Et rursus : *Cùm igitur & origine verè sit Germanus, & tempora flagitent potentem Imperatorem, censeo Carolum Austriacum evehendum esse ad Imperij fastigium,*
108. apud Georg. Sabin. *de elect. Caroli V.* † Etsi, enim patriam hanc Carolo negatam cupiebat Septemvir Treviricus, Sleidan. *pag. 23.*

pag. 23. multiplici tamen testimoniô hanc propugnare haut difficile videbatur Moguntino, si saltem ab Hispaniæ Proceribus attestatum expetere lubido fuisset. † At qvid illi? Cùm tamen, *inqviunt*, Deo optimo maximo, à qvo cuncta procedere certum est, placuerit, eundê Serenissimû ac potentissimû Principem, Dominum Carolum, Dominum nostrum clementissimû Regem nobis dare, qvi & sangvine & natione Germanus esset, videmus, eum hôc qvasi firmissimô vinculô necessitudinis & voluntatis Reverendissimis & Illustrissimis Dominationibus vestris perpetuò adstrictum &c. *Et iterum* : Qvamvis † non dubitemus, Reverendissimas & Illustrissimas Dominationes vestras prò summâ suâ prudentiâ facilè animadversuras, qvàm Reipublicæ & sacro Romano Imperio utile & decorum futurum sit, eum Romanorum Regem eligere, qvi & natione Germanus sit, & cujus majores tamdiu hoc Imperium summá cum æqvitate administraverint, & qvi regnis ac dominiis suis ab occidente orientem ipsum contingere videatur &c. *in literis ad Septemviros Imperij germanici scriptû, de dato in Civitate Barchinonâ 15. Mart. Anno M. D. XIX.* apud Goldast. *in politic. Imper. part. 1. pag. 106.* † Idem sanè hoc est, qvod † Princeps Fridericus Comes Palatinus jussu Electorum Carolo Hispaniarum Regi Imperium germanicum deferens, in Molendino Regio propè Barchinonam *die ult. Novembr. S. Andreæ Anno M. D. XIX.* per Oratorem suum Bernhardum Wurmserum JCtum publicè significandum duxit: Præterea † Sacratissime ac Invictissime Cæsar, cùm jam dicti Principes Imperii Electores te germanum Principem dignum Imperio & meritò judicârunt, tibi tantam molem totius orbis ac Imperii moderamina habenasqve tradiderunt: Superest, si Christianæ Reipublicæ, si sacri Romani Imperii, si dignitatis tuæ ac communi omnium Germanorum saluti & honori consultum esse velis, ut sine morâ versus patrium solum Germaniam tuam nobilissimam, qvantocies iter arripias &c. *in orat. habitâ ad Cæsarem Carolum*, qvam refert Goldast. *pol. Imp. part. 1. tract. 7. n. 8.* † idqve summâ clementiâ lætisqve auribus excepit Carolus, haut sibi temperans, qvin patriam dulcissimam agnosceret, *in oratione responsivâ*

109. 110. 111. 112. 113.

sponsivâ per Mercurium Albonens. de Gattinariâ supremum Regni Cancellarium, Doctorem & militem, eodem loco & die habitâ. Qvid tandem, dixit, majori laude dignum iis retribui posset, qvàm qvòd divino ipso spiritu meruerint informari, & unâ voce, unanimi consensu, uniformiqve sententiâ eum ad Imperii gubernacula assumerent, qvem cernerent origine & moribus conformem, Germanum natum, & à germanis parentibus ortum, ex ipsâqve Imperatoriâ stirpe genitum &c. Goldast. *dict. loc. pag. 139.* At qvid
114. multis? † Postqvam ipsemet Carolus Rex Hispaniarum se profitetur Germanum, & ex germano sangvine ortum, *in mandato procuratorio Commissariis ad Principes Electores ablegatis, dato Barchinon. die 8. Mens. Maji. Ann. M. D. XIX.* qvod exhibet *Protocol-*
115. *lum germanicum electionis Caroli V.* & † verbis clarioribus: Ferner haben wir aus gnädigster zuneigung/ liebe und treue/ so wir zu der Teutzschen Nation/unserm Vaterland tragen. *in Recess. Imperii August. de anno 1548. §.* Ferner haben wir etc.

XXIV.

Tot depositionibus testium omni exceptione majorum,
116. † tot attestatis Principum, tot testimoniis Germanorum ac Hispanorum, de Germaniâ Caroli Austriaci patriâ, qvin & ipsius confessioni qvis non plenissimam attribueret fidem? si omninò mo-
117. numentis historicorum, † qvi *anno salutis M. D. Februarii die XXIV.* Gandavi in Flandria lucem ipsum vidisse referunt, eam velit detractam: qvam tamen eò fortiorem judicavit Moguntinus, qvòd non saltem Flandriam, sed & alias provincias in Germaniâ
118. Carolus possideret? Sleid. *pag. 22.* ut hinc † sinistrè Septemvir Trevirious disseruisse videatur, subtili tantummodò interpretatine Carolum pro Germano haberi, in voto suo apud Sleid. *dict. loc. n. 24.* nisi forsan Flandriam unâ cum Belgio à jurisdictione Imperii & consortio civium ac Statuum germanorum exemptam puta-
119. verit, † non absqve placito Ordinum confœderatorum, qvi cùm Imperator Rudolphus II. per literas *anno M. DC. VII.* ipsis exprobraverat, qvòd viam compositionis cum Rege Hispaniarum & Archiducibus Austriæ non modò injussu suo, sed se prorsus insciô atqve inconsultô cœperant, testatus, provincias istas esse feudum,
120. deductum à S. Imperio, † qvemadmodum ex archivis Imperii, ex

rii, ex actibus investituræ, multisqve publicis monumentis omni exceptione majoribus, liqvidò appareat, se verò caput & supremum feudi Dominum haberi: qvicqvid igitur secus fecissent Ordines, irritum nulliusqve momenti fore, secundùm ea, qvæ lege fidelitatis & jure communi feudorum sanciuntur, † audacter nimis responderunt, provincias à se possessas haut portionem Germaniæ, nec ipsos ceu Imperio exemtos Germaniæ cives nuncupari, Domin. Baud. *de induc. belli belg. lib. 1.* qvô responsô licèt Ordines Flandriâ proculdubio exceperint, attamen nec confœderatos † simpliciter Nationi germanicæ subtrahere potuerunt, contra suffragium Cæsaris, qvi Belgas propterea Germanis accensendos dixit, qvòd majori ex parte appellitentur inferiores Germani: qvòd ipsimet Germaniam, patriam suam nuncupent: & qvod germanicè loqvantur, *lib. 1. de bello gallico.* † nec enim qvisqvam facilè lingvam belgicam ab idiomate germanicæ loqvelæ diversam existimaverit, licèt verborum compositio cum gallico sermone multùm conveniat, stylusqve per se corruptus, pluribusqve vocabulis gallicis sit permixtus, ita ut vix Belgæ intelligi qveant ab iis, qvi nullam prorsus lingvæ gallicæ habent cognitionem, † scilicet qvia Gallia Belgio est finitima, ex qvo antiqvis Gallia dicebatur Belgica, habitô respectu ad considerationem cosmographicam, qvo Rhenus fines ponit Germaniæ, Cornel. Tacit. *libr. 20. sub Vespasiano.* Servius *in 8. Æneid.* Sed nec Imperio germanico se subducere fas est Belgis, † si vel saltem inficias ire nolint, provincias belgicas omnes, qvas unqvam Carolus Rex Hispaniarum habuit, sub circulo Imperii Burgundico contineri, qvod nec salvâ veritate facere qveunt, convicti confessione ipsius Caroli *in Recess. Imp. August. de anno 1548. §.* Nachdem dan von unsern Burgundischen etc. † Qvis verò Burgundiam feudum Imperii, cujus intuitu Rex Hispaniarum etiamnum hodie Vasallus est nostri Imperatoris, à Regno germanico excipere ausit? Sebast. Münster. *lib. 2. de regn. Burg. in Cosmogr.* Thom. Michael *de jurisd. conclus. 22* Warem. ab Erenb. *de fœder. lib. 2.* qvantumvis plurima exemptionis jura in plerisqve articulis Domui huic non invideamus. Et qvorsum † propria Belgarum confessio *in libello supplici Anno M. D. LXX. in Comitiis Spirensibus Cæsareæ Majestati reliqvisqve Statibus Imperii exhibito*: Carolum

121.
122.
123.
124.
125.
126.
127.

G nem-

nempe Imperatorem non ita pridem universam ditionem belgicam inter sacri Imperii ordines ac limites Augustæ publicis Comitiis, Germaniæ Principibus assentientibus, retulisse, ut essent in Imperii tutelâ contra omnem vim atqve injuriam, eoqve nomine ad omnia Imperii Comitia Legatos ex provinciis belgicis
128. missos fuisse &c. † De qvo si qvisqvam ulteriùs ambigere præsumat, absqve negotio sufficientissimam is petere valebit decisionem *ex transactione in comitiis Augustanis Anno 1548. inter Carolum V. Burgundiæ Ducem & Status Imperij initâ*, cujus tenor reperitur in *libro Privilegior. Francofurti Anno 1602. excuso.* tit. *Copia* des Vertrags zu Augspurg auffgerichtet. in qva Flandriæ in specie fit mentio *circa fin. vers.* nemblich / Hertzogthumb Lothringen / Braband / Limburg / Lützenburg / Geldern / die Graffschafften Flandern / &c.

XXV.

129. Non minimam tandem † vim persvadendi suppetere sibi existimabat Archiepiscopus Moguntinus ex benignitatis, Religionis, justitiæ ac pudicitiæ encomiô, qvo in Caroli Austriaci personam animos Coëlectorum ita flectere studebat, ut digniorem Im-
130. periô neminem, qvàm illum judicarent: † *Nam & Religionem*, inqvit, *& justitiam & pudicitiam amat, sævitiam omnem odit, & ingenio certè valet*, Sleid. *dict. lib. 1. pag. 22.* Pluribus autem verbis & exactiùs hoc argumentum consignavit Georg. Sabin. eũ ita loqventem repræsentans: *Cùm igitur & origine verè sit Germanus, & tempora flagitent potentem Imperatorem; censeo Carolum Austriacum eve-*
131. *bendum esse ad Imperij fastigium.* † *Qvod ipsum tamen non facerem, nisi indoles ejus nobis nota & probata esset. Omnium maximarum virtutum, præsertim in Principe, fons est amor Religionis Christianæ: Hæc virtus eminet imprimis in Carolo. Qvare pactorum & jurisjurandi violationem, tanqvam summum scelus detestatur: A crudelitate eum abhorrere naturâ, multis certissimis indiciis comperi: In controversiis dijudicandis improbis justus est; Ingenij vis, prudentia ac diligentia jam conspici po-*
132. *sterunt. In tyrocinio Regni Hispaniæ magnos motus compescuit.* † *Et constat, eum suo ingeniô multa graviter & dextrè respondere ac constituere. Magna laus in juvene & hæc est, & signum multarum aliarum virtutum, qvòd pudicitiam amat, qvod nullis libidinibus est obnoxius. Qvare religionis, justitiæ & pudicitiæ custodem fore credibile est. In tali naturâ*

nihil

nihil tyrannicum exoriri potest. Regunt enim eum illæ virtutes, ut servet pacta, ut nulla moveat bella injusta. Et rursus: † *Postremò, si de ingenio conjectura facienda est ex natura majorum, (quia similitudo quadam propagari solet) meminimus, quanta vis animi, prudentia, justitia, fortitudo, continentia in Maximiliano fuerit; In patre Philippo dexteritas & industria singularis erat. Non dubito autem, qvin majorum naturam Carolus referat.* Hæc Georg. Sabin. Ex qvibus, qvàm magnæ Moguntino fuerit curæ encomia Caroli prædicare, satis expeditum, † sed & maximoperè necessum hoc erat ad ipsius purgationem à suspicione sævitiæ, impietatis & impudicitiæ, aliorumqve vitiorum, qvæ Hispanos reddebant Germanis invisos, qvorum catalogum benè longum refert Georg. Frider. Limburg. Baro *in orat. contra Hispan.* apud Frider. Achill. *de provinc. Europ. inter ipsos principatu.* † eoqve ipsos ita depinxit, ut nec Hathucus Caeicus, homo qvidam facinorosus ad rogum condemnatus, promissione beatitudinis æternæ consortium Hispanorum in cœlis sibi persvaderi passus fuerit; Palo enim jam affixus, & à qvodam Monacho Franciscano de Christianæ religionis capitibus verba faciente monitus, futurum, si crederet, ut mox æternæ beatitudinis præmiis: sin minùs, æternæ damnationis suppliciis afficiatur, † postqvam cogitabundus hæsit aliqvandiu, Monachum interrogans, num etiam Hispanis regnum cœlorum pateret? affirmanti illi, bonis patere: sine longiori deliberatione, cœlum se nolle petere dixit, sed potiùs inferos, ne sibi domicilium cum gente illâ commune esset. † Et vel saltem sævitia Hispanorum erga Indos exercita perpetuam illis labem aspersit, qvorum causâ mare insectantur, qvod sobolem Hispanicam tàm immanem in terram immiserit, certò credentes, Hispanos non ut alios homines natos esse, sed ex spumâ maris concretos venisse ad perdendum mundum. Georg. Frider. Limp. Baro *dict. orat. contra Hispan.* Unde † & Caribes ac populi vicini, qvi carnibus vescuntur humanis, ab Hispanorum cadaveribus abhorruisse dicuntur, ne inficerentur, Benzo *in histor. novi orb. lib. 1. cap. 23.* Qvàm proclivis etiam sit gens hæc in Venerem illicitam, vel ex solo Dali, libellorum in Angliâ ministri responsô manifestum est; † Mendozæ enim Hispaniarum Regis † ad Angliæ Reginam Legato turpe

133. 134. 135. 136. 137. 138. 139.

esse opinâti, Viros simul cum fœminis in concionibus sacris permistos in Angliâ videri, Dalus ille reposuit: turpe id qvidem apud Hispanos, qvi etiam in sacris locis cogitarent de libidine explendâ, à qvâ procul abessent Anglorum mentes, Joh. Bodin. *lib.5. de Republ. cap. 1.* & insatiabilem Hispanorum salacitatem
140. unica etiam urbs Valentia demonstrare forsan posset, † in qvâ, teste Boterô, Venus illicita tantâ dominatur licentiâ, ut meretricia opera nullibi sit honoratior, atqve libido tàm habitatione, qvàm vestitu ac famulitio præ honestate habeat prærogativam, *in relat. univers. part. 1. lib. 1.* ne qvidqvam addamus de vitiis levi-
141. oribus, qvibus nobiles sunt Hispani, † libidine imprimis invadendi & expilandi aliena, qvam facetè ipsemet Carolus genti huic exprobravit Hispano cuidam, contemtim habenti Germanos, qvod immodicè vinum haurirent, id responsi referens: Sed an tu nescis, qvibus vitiis Hispani laborent? Ut enim illi vini, ita hi alieni sunt avidi: Germanis vini usum circumscribere idem erit, ac si Hispanis interdicere velim, ne furentur, Casp. Ens. *Epidorpi. libr. 2.*

XXVI.

Etsi verò hæc Carolum nostrum neqvaqvam pungant,
142. † qvippe qvi nec Hispanus, neqve ex sangvine Hispanico ortus erat, Germaniæ natales suos referens, ut antea multorum attestatis demonstratum dedimus, solicitus pro eo nihilominus fuit Archiepiscopus Moguntinus, omnem præcidens ansam, unde ex consortio saltem Hispanorum macula ei inuri posset, idqve singu-
143. lari elogio efficere annixus est, impelli † scilicet eum ardore sat gravi erga Religionem, justitiam & pudicitiam; qvod ulteriùs decantare ac probatum facere larga nobis suppeteret messis, si non intentionis limites id prohiberent. Ne tamen illicò filum
144. rumpamus, † unicum illud silentio haut supprimendum videtur, qvòd Carolus Imperator verâ fide in Jesum crucifixum medios inter Catholicos Hispanos animam exhalaverit. Doctore enim Constantinô, virô pio & præclarè eruditô, qvem in solitudine Hieronymianorum fratrum postremô vitæ suæ bienniô familiarem habuerat, Cæsari in gravissimo corporis morbo & animi tentatione multa S. Bernhardi dicta & scripta recitante, imprimis verò gratis & absqve operibus justificari hominem per fidem, mirificè

rificè se delectari & recreari, Carolus ostendit: † Cúmqve ad 145.
lentam tabem acuta febris tandem accessisset, ut ab omni meritorum & operum propriorum fiduciâ se avocare mentem, & in unicum Redemtorem & Servatorem nostrum Jesum Christum dirigere ostenderet, imaginem Christi crucifixi aliqvot dies oculis, ulnis & ore complexus, in eo uno ac solo se omnem salutis suæ fiduciam collocare declaravit: † & sumptâ denuò Eucharistiâ, 146.
inter hasce & veræ pietatis & fidei in Christo acqviescentis voces: In me manes, dulcissime Salvator, ut ego in te maneam, ex hac vitâ discessit, qvod factum *die 21. Sept. Anno M D LIIX.* David Chytræ. *de vitâ & rebus gestis Caroli V.* Hæcce fuit religio Caroli Austriaci Imperatoris Romani † orthodoxa, Lutherana, licèt nomen 147.
B. Lutheri non agnoverit. Unde qvàm verum fuerit elogium à Moguntino de religione ipsi decantatum, satis liqvescit; nec qvidqvam in eo remissius, † si justitiam, dexteritatem, fidem & 148.
constantiam respiciamus, qvod unicum illud firmat responsum iis datum, qvi ad exemplum Hussi Luthero salvum conductum non esse servandum juxta decretum Concilii Constant. ipsi persvadere conabántur. Qvidnam vero illud? Etiamsi fides & justitia, *dixit*, ex toto orbe exularet, ab Imperatore tamen observari debet. † Ne qvidqvam addamus de Caroli tot judicatis, tot Re- 149.
cessibus comitiorum, tot legibus contra malefactores ac delinqventes in Nemesi Karolinâ comprehensis, qvæ omnia ex pio pectore scrinioqve justitiæ prodierunt. De constantiâ porrò & fortitudine Caroli qvi certiorari velit, adeat † Thuan. qvi admi- 150.
randam ejus constantiam hisce prædicat verbis: *Qvantò majus periculum imminebat, tantò alacriores ad extrema qvæq; se duce & teste subeunda redderet.* Respicit nempe ad castra Ingolstadiensia, ubi à fœderatorū numerosis & adhuc recentibus copiis undiq; circumventus ac penè oppressus, non tantùm nullam timoris significationem dedit, sed muniendis castris intentus, suos exemplô & generosis hortatibus confirmavit. Thuan. *lib. 4. & lib. 21. histor.* † qvam 151.
virtutem heroicam nec Justus Lipsius siccô prætereundam duxit pede, de eâ hæc referens: Carolus V. Imperator, cùm in Germaniâ copias & castra ad Ingolstadium haberet, cinxissentqve eum ingenti numerô militum fœderati hostes: nec illi visum dimicare, vel qvia sui nondum convenissent, vel qvia

G 3 præ-

prævidebat tutam mox & fine cæde victoriam: Ecce isti æneorum tormentorum copiâ validi, tantum ferreæ grandinis in castra jaculati sunt, ut uno die ad VI clↄ globorum numerarent. † Itaqve omnia ictibus pervia, ipsum Cæsaris tentoriû, & ad latus ejus & tergum occisi: cùm ille nec locum, qvid dico locum! nec statum, nec vultum mutavit, qvin etiam monentibus amicis, sibi atqve omnibus in se parceret, dixisse arridens fertur: Considerent, neminem Imperatorum tormenti ictu periisse; Atqve hæc talis constantia in omni ejus reliqva vitâ fuit, Lipf. *lib. 1. polit. monit. cap. 6.* Duplici huic de constantiâ Caroli testimonio † addi quoq; potest tertiû, qvod est Philippi Melanchthonis: In periculis, *ait ille*, Carolus impavidus & mortis contemtor fuit. *Et postea*: Cùm de Mediolanensi Ducatû à sociis desertus, & ab omnibus oppugnatus certaret, nullis adversariorum conditionibus aut minis induci potuit, in dubiâ spe rerum statu versante, ut ditione illâ se Francisco Sfortiæ cessurum polliceretur, ne qvid augustâ suâ majestate indignum, metu aut necessitate impulsus fecisse videretur, *in chron. Car. in vitâ Caroli V. pag 960.* † Sed nec libidinis turpitudo, cujus Hispani vulgò incusantur, Carolum invasit, totô enim pectore Venerem illicitam abhorrens, cùm in bello germanico Farnesium, Pontificiarum copiarum Ducem, ingenuas aliqvot matresfamiliâs per vim stuprâsse intellexisset, in continenti ipsum ex castris, qvæ tum bellô nondum confectô ad Brentam fluvium hærebant, discedere, † & in Italiam redire jussit, ac Zelô ingenti exardescens, prehensô gladii capulô, si, *inqvit*, adesset impurus ille nebulo, manu meâ eum confoderem; nec unqvam vocem iracundiorem ex ipso auditam, refert Chytr. *de vitâ & rebus gestis Caroli V.* Non ergò Carolum Austriacum vitiis & flagitiis Hispanorum implicare licet, ut maximè ab Hispanis educatum, moribusqve Hispanorum assvetum forsan ipsum, concesserimus: Nec enim ob unius & alterius Hispani vitam facinorosam † genti universæ labes est aspergenda, qvæ bonam mentem haudqvaqvam abjicit, multi qvantumvis inter Hispanos sint ἄθεοι & vitiosi, attamen & boni hâc in natione reperiuntur, qvorum mores satis superqve exprimit Petri Henriqvez, Fontium Comitis edictum castrense;

† qvò

152.

153.

154.

155.

156.

† qvo in militem nefarias de Deo ac beatâ Virgine, aut Sanctis 157.
voces proferentem, locis aut hominibus sacris injuriam inferentem, matronas virginesqve vitiantem, scortum in castra secum adducentem, captos deditosqve contra pacta trucidantem, socios deprædantem, privatas injurias monomachiâ vindicantem, capitis pœnam statuit, Joan. Bochius *in histor. narrat. inaugurat. Alberti & Isabellæ Archiducum.*

CAPUT III.

Votum Archiepiscopi Moguntini refutatorium.

XXVII.

MUltùm hucusqve fuit occupatus † Elector Moguntinus in recitandis argumentis svasoriis & commendatione Caroli Austriaci, qvò ad fasces Imperii Romani eveheretur, sibi tamen id non effecisse visus, si non etiam ea, qvæ obstaculo esse putabantur, refelleret, † qvâ in re tantò magis ipsi laborandum fuit, qvantò majori industriâ Septemvir Trevericus partes agebat competitoris Francisci Galliarum Regis, & suffragia Coelectorum conqvirere sustinebat, rationibus neqvaqvam contemnendis, † qvas antea tùm privatim tùm in scrutiniô actui electionis præmissô auribus illorum insusurraverat. Metuebat enim *Primò* periculum ex absentiâ Caroli, si in Hispaniis commoraretur, qvod hisce repetendo exprimit verbis noster Archiepiscopus: † *Hispania longè dissita est à Germaniâ, qvod ut libertati nostræ tutiùs videtur, ita si Carolum detinebunt Hispaniæ, interea sine præsidio & sine custode publicæ tranqvillitatis erit Germania. Et vel Turcici belli causâ, vel propter domesticos Principum tumultus necessitas publica flagitat, ut velut in statione adsit Imperator. Qvid? si etiam subitò de Imperio aut de religione exarserit aliqva seditio?* apud Georg. Sabin. † Idqve non vanum fuisse monitum, edocuit eventus, Carolô postea ad Imperium evectô non continenter in Germaniâ subsistente, ut propterea alium

alium qvasi substituere Imperatorem, ac Ferdinandum fratrem Imperii Vicarium declarare necessum habuerit, qvod præter alia historicorum monumenta aperiunt *Recess. Imp. Spirens. de anno 1529.* Crus. *part. 3. libr. 11. cap. 7. in pr. annal Svevic.* Sed non absqve periculo, † ex interregno Reipublicæ, capite fatô qvocunqve sive per mortem sive per absentiam orbatæ, imminenti, veluti qvandoqve mors & absentia æqviparantur, *cap.*
6. *præsentata 50. extr. de testib.* † Nec leve qvisqvam id periculum existimet, qvod non nisi remediô fallaci declinare ausus est Mahometus Bassus, qvi Solimanô Turcarum Imperatore in ipsâ Zygeti obsidione profluvio sangvinis extinctô, cùm in occultatione hujusce mortis salus rerum omnium consistere credebatur, vetitus, ne cui soli mors nota esset, Medicus rem propalaret, † illum è tentorio vocari, in suo conspectu jugulari imperavit: † & qvoniam tumultus ferè excitabatur in castris, qvia Imperator per multos dies à nemine visus fuisset, Mahometus, re cũ qvibusdam spectatæ fidei Proceribus communicatâ, Solimannũ balsamo perunctũ induit usitato more, atq; collocat in sublimi throno, in loco intra tentoriũ adumbrato; qvẽ spectandũ è lõginqvo cum maximâ reverentiâ proponit; ipse significationes nonnullas reverentiæ præsentibus omnibus & obseqvia edidit, tanqvam cum illo loqveretur, cumqve nemo propiùs accedere propter nimiam observantiam ausus esset, sine fuco & fallaciis credita res fuit, referentibus Natal. Com. *hist. lib. 17.* & Leunclav. *in annal. Turcic. sub Ann. 66.* † Idqve ne Anarchia in Rempublicam irreperet, qvæ nunqvam non Rege vel extinctô vel absente pertimescenda, ex qvo Caroli electio plerisqve ambigua videri potuisset, si præsertim, † qvod Trevirensis *Secundò* non minoris periculi putabat, considerâssent, fore nimirum, ut si Carolus Rex Hispaniæ calumniis & criminationibus aliqvorum irritatus in Germaniam veniret, militeq; secum peregrinum adducat, non sine ambiguâ Imperii fortunâ, Sleidan. *lib. 1. comm. pag. 25. in pr.* qvod haut nihili habendum monebat Suffragator noster, votô suô hiscé id formalibus addens: *Aliud levius est*, † *sed tamen non contemnendum: Si enim iratus aliqvando in Germaniam veniret, & Hispanos adduceret, libertas nostra non esset in tuto*, Georg. Sabin. *dict. loc.*

Margin numbers: 5. (line "absqve periculo"), 6. ("præsentata"), 7. ("peravit"), 8. ("nal. Turcic."), 9. ("set, si præsertim"), 10. ("cé id formalibus")

dict. loc. † Nec vanum hoc fuit augurium, cujus eventum Germania nimiùm experta, ut ea propter Glossator Sleidan. Moguntinum meritò verum appellaverit vatem, *in marginal. lib. pag. 21.* 12.

XXIIX.

Animos porrò Electorum in suspensò retinere potuisset † metus translationis Imperii germanici ad Hispanos, qvod & ipsum *Tertiò* Septemvir Trevericus non parum urgebat, qvin & vaticiniò illô, qvô Maximilianus à qvibusdam ultimus haberetur Cæsar germanus, firmabat, apud Sleid. *pag. 22.* qvare nec ei Moguntinus vim omnem persuadendi adimendam censuit: *Cogito enim*, † ajebat, *posse fieri, ut Imperii dignitatem hanc vix ægrè nobis restituant Hispani, & si virtute viribusq; suis Mediolanum recuperent, futurum, ut sibi retineant*, Sleid. *pag. 21.* in qvo non minima latebat Imperii mutatio, † qvippe qvòd in Caroli Magni stirpe hereditarium, extinctâ jamdudum eâ, tempore Conradi I. factum fuerat electitium, ipsò per suffragia ad fasces Imperii evecto, Luitprand. Ticinens. *lib. 2. rer. gest. cap. 7.* Vitichind. *de rebus gestis Otthon. Magn.* Si non oculos † sibi ab Aventino qvis perstringi patiatur, qvi usqve ad Friderici II. Imperatoris tempora in Imperio magis successionem qvàm electionem observatam meminit *lib. 5. annal. Bojor. fol. 505.* sed contra mentem & confessionem ipsius Friderici II. † qvi Imperium non ex successione, sed electione Principum sibi delatum haut inficias ivit, universis Regibus & Principibus mundi id hisce intimans verbis: Qvid etenim vobis & singulis Regibus singularum Regionum à facie tanti Principis sacerdotum timendum? Non superest, si nos ex Principum electione solenni & approbatione totius Ecclesiæ, ac in Christianæ fidei religione viventium, Imperiali diademate divinitus insignitos, & alia Regna nobilia magnificè gubernantes deponendos aggreditur: Et cujus qvoad Imperiale diadema non interest aliqvid in nos exercere rigoris, etiamsi causæ legitimæ probarentur, &c. *in ep. 2.* apud Petr. de vineis. † Fallacem qvoq; Aventini observantiam produnt exempla tot Regum ac Imperatorum ante Friderici II. tempora ad Imperii germanici regimen evectorum; Statim enim post mortem Conradi I. Imperatoris, qvē primū electionis jure sceptra Imperii tenuisse modò diximus,

13. 14. 15. 16. 17. 18.

H † Hen-

19. † Henricus Auceps fuit electus Imperator, de qvo ita Luitprandus: Septimô regni Chunradi annô, vocationis suæ ad Dominum tempus cognovit, cumq; memoratos Principes se adire fecisset, solummodò Henricô absente ita convenit: Ex corruptione ad incorruptionem, ex mortalitate ad immortalitatem vocationis meæ tempus agnosco, & ut cernitis, præstò est. Proinde pacem atqve concordiam vos sectari, etiam atqve etiam rogo. †
20. Me hominem exuente nulla vos regnandi cupiditas titillet, nulla præsidendi ambitio inflammet: Henricum Saxonum & Thuringorum Ducem prudentissimum, Regem eligite, Dominum constituite; Is enim est sapientiâ pollens, & justæ severitatis censurâ abundans. His itaq; prolatis, propriam Coronam non aurô, qvo cujuscunqve ordinis penè Principes pollent, verùm gemmis pretiosissimis non solùm ordinatam, sed gravatam, sceptrum & cuncta, qvæ regalia sunt indumenta, in medium venire præcepit,
21. & prout valuit, hujusmodi verba effudit: † Heredem Regiæq; dignitatis Vicarium regalibus meis ornamentis Henricum constituo; cui ut obediatis, non solùm consulo, sed etiam oro. Qvam jussionem mox seqvitur interitus, & interitum est obedientia prosecuta: Ipsô namqve mortem obeunte, memorati Principes coronam cunctaqve regalia indumenta Henrico Duci contulerunt, atqve ut Rex Chunradus dixerat, cuncta per ordinem narraverunt; qvi Regiæ dignitatis culmen prius humiliter declinavit, ac paulò pòst non ambitiosè suscepit. *Hactenus* Luitprandus
22 *lib. 2. cap. 2.* † Electus igitur fuit in Imperatorem Henricus Auceps à Principibus, licèt consilio & svasu Chunradi I. heres & successor ejus inde nuncupatus, ut scitè explicat Regino Abbas
23. Prumiensis *in Chron. lib. 2.* † Cui parili electionis jure successit Ottho I, & huic filius Ottho II, nec non reliqvi omnes subseqventes Imperatores, veluti historicorum docent monumenta, Abb. Urspergen *in Chron.* Ottho Episcop. Frisingens. *lib. 7. histor. cap. 27.* Lambert. Schafnaburg. *in hist. suâ.* Onuphr. Panvin.
24. *de Comit. cap. 6.* † Hæc scilicet facies fuit Principum ad diadema Imperii evehendorum, à tempore statim Chunradi I. licèt Aventinus *dict. loc.* electionem ab Imperio demùm Friderici II. cœpisse senserit, qvem procul dubio fefellit ordo ac numerus Electorum

ctorum certus, tum temporis nondum adinventus, electis nimirum Imperatoribus ab omnibus Germaniæ Principibus, tàm laïcis qvàm ecclesiasticis, Schard. *de origin. Elect. cap. 6.* Nicol. Cisner. *in Orat. de Otton. III. fol. 59.* Onuph. Panvin. *dict. loc.* † Sed 25.
qvocunqve tandem tempore electio Regis Romanorum fuerit in Imperio recepta, tàm sancta meritò visa est Septemviris, ut nunqvam in Imperatorem designandum duxerint Principem aliqvem, de qvo vel abrogatio ejus, vel totalis ad certam gentem translatio fuerit metuenda: Ut enim Proceres Imperii germanici semper libertatis fuerunt amantissimi, † ita etiam liberrimam 26.
sibi novi Imperatoris electionem voluerunt reservatam, atqve hinc *Anno 1077. in Comitiis Forcheimensibus* publicè conclusum: Ut filius Regis, etiamsi valdè dignus esset, per electionem spontaneam magis, qvàm successione Rex proveniret: Si verò non esset dignus, vel si nollet eum populus, qvem Regem facere vellet, haberet in potestate, Melch. Goldast. *tom. 1. Const. Imper. pag. 235.*

XXIX.

Aliam *Qvartò* remoram voto Moguntini svasorio injiciebat † Natio hispanica, cui postqvam Carolus, ceu Rex hujus gentis 27.
multùm favere præsumeretur, officia tàm militum bellica, qvàm Consiliariorum aulica non Germanis, sed Hispanis demandatum iri, Electores suspicabantur, imprimis verò Trevir apud Sleid. *lib. 1. p. 25.* † cujus mentem ac suasum latiùs paululùm 28.
extendit Georg. Sabin. eumqve ita loqventem producit: *Est & illud commodi, si cum Gallis militemus, vestro ductu omnia gerentur, vos in gloriæ societatem admittent Galli, etiamsi sunt gloriosi: At ubi † cum Hispanis militabitis, illi vos tanqvam mancipia regent; Ipsi la-* 29.
boribus ac victoriis vestris fruentur: præripient honores: praerunt provinciis: Vos tum serò deplorabitis servitutem vestram. Sabin. *de elect. Carol. V.* † qvod monitum animos Coëlectorum tantò 30.
magis movebat, qvantò majus inde Principum germanorum gloriæ, ipsiqve Reipublicæ detrimentum imminere videbatur. Fieri enim vix posse animadvertebant, ut Proceres germani officia illustria, qvibus ipsimet præesse debebant, Hispanis non inviderent, unde semper æmulationes pertimescendæ: † At nec

 31.

vituperio Germanorum, ut qvi tantô honore haud digni judicarentur, nec ingenio, virtutibus & judicio Hispanis æqviparandi essent. Qva qvidem gloriâ sese plurimùm † veteres Romani efferebant, qvi neminem non modò peregrinorum, sed ne sociorum qvidem in Curiam suam recipiebant, bellumqve propterea qvàm pacem eam malebant, in qvâ peregrinum Senatum,
32.
33. peregrinos Consules essent visuri, Livius *lib. 23.* † Nec æqvum videbatur Hispanis indulgere id, qvod ipsimet aliis denegatum cupiunt: Solent enim in furorem agi, si munera magna & illustria, ut sunt Consiliariorum, Officialium aulicorum, vel Ducum belli, exteræ gentis hominibus committi videant, ex qvo se despicatui haberi & contemni, aut pro servis ac mancipiis putari, atqve indignos Regni sui dignitatibus atqve honoribus
34. existimari suspicantur. † Omnium verò ægerrimè ferunt, plus fidei aliis exteris, qvàm civibus & indigenis ab eo haberi, cui vitam ac salutem suam omnem ipsi crediderint, Herm. Kirchner. *in morvill. r. lib. 3. cap. 4. n. 8. & 9.* in qvo & aliarum
35. Rerumpublicarum moderatores † ipsos seqvuntur. Poloni sanè qvantumvis post mortem Sigismundi Augusti Regis sui, Senatusconsultô gravissimô omnibus civibus ad Imperii gubernationem aditum præcluserint, peregrinorum tamen neminem ad Senatum & consultationem admittunt, Johan. Bodin. *lib. 6. de*
36. *Republ. cap. 5. & lib. 3. cap. 1.* † nec alia facies Helvetiorum & plurimorum in Italiâ pariter & Germaniâ Rerumpublicarum, qvarum statuta exteros ab officiis publicis & regimine penitùs excludunt, Antimach. *lib. 1. theor. 3. pag. 157. & seqq.* qvi mos etiam
37. Belgis probatur, unde gravis † prodiit qverela eorum, cùm Hispanos in munerum & officiorum administratione incolis prælatos viderent, cui haud minimam dedit causam Robertus Dudleus Leycestriæ Comes, Reginæ Angliæ Commissarius apud Meteran. *in hist. belg. lib. 14. pag. 713. & 716.* Et qvis tandem felicem pollicebitur gubernationis successum, si clavum regiminis teneat peregrinus? † Cùm enim, Consule Romanô teste, *3. de*
38.
orat. consilii de Republicâ dandi summum sit caput, nôsse Rempublicam eamqve habere exploratissimam istius certè boni gratiâ, civis, qvem loci patrii genius & natura ab ipsis incuna-
bulis

bulis concivium mores docuit, peregrino & advenæ cuicunqve præferendus, idqve eò magis, qvòd licèt peregrinus & mores & instituta alterius Reipublicæ noscat, vix tamen dexteritatem & applicationis felicitatem habeat. † Nam ut arborum plurimarum fructus, qvocunqve terrarum deferantur, semper sui soli sapiunt fructum & succum; ita in omnibus actionibus, consiliis & deliberationibus ad rationes ingenii morumqve eorum, qvos domo attulit, indoles hominum vernacula propendere consuevit. Et uti solstitialis herba ad solis obseqviū, ita ad gentis suæ naturam respicere, eiqve omnes leges, scita, instituta, mores ac consuetudines accommodare, ex qvo tot indigenarum odia, tot simultates accenduntur, Herm. Lather. *de cens. lib. 3. cap. 16. n. 114.* Nec unqvam talis affectus, fides & amor in exteris erga commune bonum præsumendus, qvi in civibus ac indigenis perspicitur, qvorum caritates omnes complexa una continet patria, pro qvâ non modò opes ac facultates, sed etiam sangvinem ac vitam suam profundere civis bonus minimè dubitabit. Kirch. *dict. cap. 4. n. 28.* † ut hinc certissimum Reipubl. labentis signum judicent rerum civilium Doctores, si cui sustinendæ atqve fulciendæ homines peregrini accersantur, non aliter qvàm si Vespillones & Libitinarii alienam ingrediantur domum, qvi nihil aliud agere, qvàm funeri efferendo sandapilam afferre putantur. Lips. *lib. 3. polit. cap. 4.* 39. 40. 41.

XXX.

Ac ne qvisqvam Hispanorum mores & actiones à Carolo Imperii germanici futuro moderatore, vel sanioribus consiliis temperatum, vel iis frenum injectum iri sibi polliceretur, urgebat *Tandem* Elector Trevericus ætatem Caroli juvenilem, qvâ omnem huic spei viam existimabat præcisam; Ita enim ille ad Coëlectores: † *Placidô ac modestô ingenio Carolum esse non dubito: Sic enim à multis prædicatur, sed cum ætate sit adolescens, qvomodo potest de illis virtutibus, qvæ in summo Principe reqviruntur, judicium in eo fieri?* Et rursus: *De Carolo nihil habemus comperti, nisi qvòd indoles aliqvid promittat,* Sleidan. *pag. 24.* 42. 43.

 non-

Nondum enim egressus erat tùm temporis Carolus annum de-
44. cimum nonum, Sleid. *p.27.* † Non minimum itaqve paucitas annorum movere poterat scrupulum Suffragatoribus Serenissimis. Etsi enim in Regnis successoriis sine scandalo etiam minorennes ac infantes ad fasces Imperii admittantur, ita scilicet, ut vel tutores vel Consiliarii defectum suppleant annorum, Petr. Gregor. *lib. 47. Syntagm. jur. univers. cap.9. n. 26.* unde illud vulgatum: *Infans & miles & Rex*, de qvo Bartol. *in l. 1. in pr. C. de muner. & honor. lib. 10.* Hyppol. de Marsil. *in l. infans. n. 9.*
45. *ff. ad l. g. Cornel. de sicar.* † In Regnis tamen electitiis gravioris ætatis umbra gladio juvenis furioso semper præfertur, Joh. Limn. *tom. 1. jur. publ. lib. 2. cap. 2. n. 75.* Junior siqvidem ætas nondum prudentiâ eâ, qvæ, ut vulgò dicitur, ante pilos non efflorescit, valere potest, qvæ in Principe ac regiminis mod. ra-
46. tore reqviritur. † Qvod & veteres Romani satis perspectum habebant, publicâ lege caventes, ne qvis ad Senatum & consilium accederet, atqve adeò ne qvidem ullum attingeret magistratum, qvi minor annis triginta esset, Plin. *lib. 10. epist. 83.* qvam qvidem legem cùm in Principis Consiliario hodie cooptando, politicorum magistri observandum arbitrentur, juxta dictum veterum proverbiale: Consilia grandiorum hastas ju-
47. venum esse, Lips. *lib. 3. civ. doct. cap. 4.* qvis non † in Principe ipso eam dixerit necessariam, qvippe qvi Consilii ac Senatûs, à senio olim dicti, caput est atqve director; ac licèt maximè, ut Pindarus censuit, puer canâ mente aliqvando sit providus, ac prudente consilio senes centum annorum vincat, autoritate tamen eâ apud populum adolescentia destituitur, sine qva munus & dignitas consulendi sustineri haud facilè potest, Joh. Bodin. *lib.*
48. *3. de Republ. cap. 1.* † Nec enim jucundus adolescentiæ aspectus, sed canities ab ipsâ naturâ insitum sibi qvendam reverentiæ cultum metumqve habet, qvod Poëtæ indigitâsse videntur, fingentes: Regem Deorum, Jovem in cunis qvoq; incanuisse, majestatemqve atqve canam gravitatem ad regnandum aptissimam
49. repræsentâsse, Cas. *lib. 7. polit. 14. q. 1.* Et † unde in juvenem experientia, mater & adjutrix prudentiæ? qvam demum senes, multorum observatô temporum curriculô, plurimarumqve re-
rum

rum exemplis comprobatam sibi habent, Herm. Kirchn. *de legat. lib. 1. cap. 4. n. 47.*

XXXI.

Fuerunt hæc, qvæ ambiguam reddere videbantur electionem Caroli Austriaci, Regis Hispaniarum. † Sed qvid ad 50.
ea Moguntinus? *Ego sanè*, inqvit, *non solùm ista fateor, sed dum attentius cogito, moveor etiam & propè inhorresco*, Sleidan. *pag. 21.* Et qvi non moveri potuisset, tot pericula, tot incomoda perpendens, qvæ vel ex Imperatoris absentiâ & adductione militis peregrini, vel ex translatione Imperii germanici ad Hispanos, vel exterorum consilio & regimine, aut etiam juvenili Imperantis ætate Imperium poterant labefactare? † Non tamen animum 51.
despondet, nec qvas defendere susceperat partes Caroli, derelinqvit, sed dubitationis nubem dispellere, & qvæ voti sui jugulum premere censebantur, refellere intendit. Etsi enim periculi qvid subesse haud inficiatur, minus tamen id judicat, qvàm qvod ex Francisci Galliarum Regis aut alterius cujusdam Principis electione sit metuendum: Ita namqve respondet: † *Et si qva* 52.
sint incommoda, qvæ deterrere possint, ea longè esse puto illis minora, qvæ futura, siqvidem ad alium qvempiam rei summa deferatur, Sleidan *pag. 22.* Nunqvam scilicet † electionem adeò feliciter 53.
successuram putat, ut ex voto intentioni semper respondeat eventus, ut maximè Proceres Imperii id operam dent, qvò bono tantummodò Principi sceptrum & diadema deferatur, nec unqvam qvi non virtutes & animi facultates ad benè gubernandum idoneas, viresq; ingenii præ se fert optimi, ad solium admittatur, Petr. Gregor. Tholos. *lib. 7. polit. cap. 13.* Girolamo Frachetta de Rovigo *nel seminario de governi di stato è di guerra. cap. 2.* † nec enim semper electus talis in recessu habetur, qvalis 54.
ab initio præsumitur; sed sæpiùs in fine, qvò qvisqve potentior, eò turpiùs abutitur suâ potestate, Piccard. *in observat. histor. polit. decad. 2. cap. 1.* Cùm itaqve majora incommoda ex Francisci Regis electione Imperio fuissent pertimescenda, neqvaqvam
† Caroli personam arbitratur Moguntinus postponendam, ne 55.
ob unum vel aliud periculum adhuc incertum, tot econtra Respublica Germanorum privetur commodis, qvæ ex Caroli electione

ne pollicitus fuerat. At nec remedio destitutos existimat Septemviros saluberrimo, qvo periculis, qvaliacunq; etiam illa sint,
56. occurrere possint: † *De eâ namq; re*, inqvit, *certis legibus cum ipso transigetur*, apud Sleidan. *dict. pag. 22.* Contra insolentiam siqvidem Imperantis haud cogitatam vel prævisam vix expeditiore aliqvo medio prospectum erit Reipublicæ, qvàm ut certæ ei præscribantur leges, priusqvam ad fasces regiminis evehatur, qvibus potestas ipsius firmissimis sistitur frenis ac retinaculis, Casp. Ens *in libello de elect. & inaugur. Reg. Roman. cap. 1.* Wolffgangus Fridericus à Pappenheim apud Dom. Arum. *tom. 5. jur.*
57. *public. discurs. 33.* † Unde à primo statim electionis momento, qvæ tempore Conradi I. cœpisse creditur, mos invaluit in Imperio, ne qvisqvam sine certâ pactione & conditionibus præscriptis ad solium Imperiale admittatur, Cuspinian. *in vitâ Conra-*
58. *di I.* qvi postea in legem abiit fundamentalem; † qvâ de ita scripsit Jul. Pflug, Episcopus Numburgensis: Ad hoc institutum accessit alterum non minùs bonum ac salubre, ut, qvi in illo excelso honoris gradu collocarentur, ne duriùs, qvàm oportet, regnarent, anteqvam aliis imperare inciperent, eas leges qvodammodò imponerent sibi, nihil ut contra Ecclesiam Christianam atq; Rempublicam nostram, ejusq; libertatem facerent, *in orat. de Republ. german. cur.*

XXXII.

59. Nec † vanum hoc fuit apud Coelectores Moguntini monitum, si qvid post electionem Caroli ab ipsis factum, & à Joh. Sleidan. notatum observemus: *Cæptum est*, inqvit ille, *agi cujusmodi conditiones Carolo sint ferendæ: disceptata res fuit per aliqvot dies; ubi demum convenisset, præscriptæ leges Moguntiam ad Caroli Legatos mittuntur: cùm eas illi recepissent, in literas referuntur singulorum suffragia, sicut fieri consuevit, & obsignatur*, Sleidan. *lib. 1. pag. 26.* Prodierunt hinc inter leges atqve conditiones alias & hæ nominatim:
60. † *Ut Carolus in Germaniam se conferat: Peregrinum militem nullum in Germaniam adducat: Consilium nullum ineat, qvod dignitatem Imperii suæ familiæ peculiarem & hereditariam faciat, sed liberam & integram permittat Septemviris eligendi facultatem, juxta Caroli IV. Legem & Juris pontificii præscriptum: qvod secus factum erit, irritum habeatur:*

Sena-

Senatum in Imperio constituat ex Germanis delectam, qvi Rempublicam gerat, jura, privilegia, dignitatem Principum ac Ordinum Imperij minimè convellat aut imminuat: Negocijs publicis præficiat non exteros, verùm Germanos ex Nobilitate collectos &c. veluti summatim eas congessit Sleidan. *pag. 28. & 29.* dilucidiùs † verò hæc exprimuntur *in Capitulatione Carolo præscriptâ*, qvam verbotenus subjeci *Commentario de Lege Regiâ german.* Hiscê itaqve satis Imperio prospectum duxit Septemvir Moguntinus contra ea, qvæ Caroli electionem remorari censebantur. Et qvò fortiori Carolus obstringeretur vinculò, promissum jurejurando firmari svasit, † qvod paucissimis refert Sleidan: *Fidem nobis dabit per jusjurandum, pag. 22.* Plusculis autem verbis Georg. Sabin: *Etsi qvis scrupulus est, ne transferatur Imperium ad exteros, habemus solennem formulam jurisjurandi, juxta qvam fidem dabit Carolus, se non labefacturum aut mutaturum jura nostra & Imperij statum; de elect. & coron. Caroli V. Imperatoris.* Idqvè postea factum est, præstitô â Legatis Caroli jurejurandô, ipsius tamen verbis ac nomine, Sleidan. *pag. 29. in fine.* † Idemqve in electione Regis Romanorum etiamnum observari consvevit, singulis Electoribus literis obsignatis desuper exhibitis, Julius Pflug *dict. loc.* Goldast. ab Heimsfeld, *polit. Imper. part. 12.* ac ne qvidqvam roboris deesse videretur, in actu etiam coronationis jusjurandum hoc â Carolo † Septemviri repetitum voluerunt, Hartm. Maur. *de coronat. Caroli V. Imp.* apud Goldast. *in polit. imper. parte 3. pag. 270.* Ita scilicet prudenter ac providè agendum placuit circa electionem novi Imperatoris, more aliarum Rerumpublicarum, qvarum leges fundamentales multiplici circumvallantur sepimentô, nempe vel jurejurando, vel apposito libertatis custode; vel ex pacto, ut liceat in casu contraventionis indignum pronunciare Imperiô Regem, qvam Legem commissoriam vulgò appellitant, Christ. Besold. *in polit. lib. 1. cap. 8.* † Abeant ergò, qvi sacrilegii arguere haud verentur Electores, nuda Imperatoris verba & promissa in suspicionem vocantes, *ex l. 2. C. de crimin. sacrileg.* qvod certè nunqvam fecerunt, nec facere ausi fuerunt, fidem promissam arctiori jurisjurandi vinculô firmantes in rebus Imperium concernentibus. Largiamur enim, vocem Imperantis oraculi instar

61. 62. 63. 64. 65.

 esse

esse, qvæ unam habeat lingvam unumqve calamum, Arnold.
66. Clapmar. *de arcan. Rerumpubl. lib. 5. cap. 8.* † Juramentô tamen eam fortiùs constringere, nulla unqvam lex prohibuit, qvin potiùs id svasit, qvò metu Numinis divini exactè jurans eam impleat, *l. 2. C. de rebus credit.* ex qvo non malè à Principibus Imperii aliàs fidelissimis juramentum fidelitatis in formâ præstatur, Warem. ab Erenb. *de fœder. lib. 2. fol. 108.*

XXXIII.

Sufficere hæc poterant removendis impedimentis, qvibus
67. electio Caroli impugnabatur, † si non tenera ætas Imperio gubernando minùs apta ambiguitatem aliqvam reliqvisset, cui nullâ lege vel conventione obviare valebat Moguntinus: aliâ ideoqve ratione scrupulum hunc removere nitebatur. Et qvidem paucitatem ac defectum annorum, & animi & corporis viribus
68. in Carolo suppleri contendebat: *Ætate qvidem est* † *non magnâ*, inqviens, *sed tamen idoneâ nunc & maturâ rebus gerendis*, Sleidan. *pag. 22.* Et apertiùs postea in renunciatione novi Imperatoris in præsentiâ Nobilitatis ac universæ multitudinis publicè factâ: Est autem ea jam ætas penè, qvæ fuit Alexandri Magni capescentis Imperium, in qvâ vires corporis propemodum maturuerunt, & ingenii vigor, industria, sagacitas & mores se proferunt, ut judicari, qvalis sit natura, possit, apud Goldast. *in polit.*
69. *imper. part. 1. pag. 134.* † Natus jam enim undeviginti annos adolescentiam ferè egressus fuerat, ut non qvivisset non impingere, qvisqvis eum ingeniô & judiciô pollentem obeundis negociis aut providendis aut judicandis ætate minùs aptâ habuisset,
70. † cùm nec ea definitione legum certâ circumscripta fuerit, sed nunc provectioris ætatis, nunc minoris Imperatores extiterint, veluti Otthonem III. adhuc puerum: Henricum III. annô ætatis duodecimô: Henricum IV. octavô; Fridericum II. annô vigesimô; & Wilhelmum itidem vigesimô annô ad fasces Imperii evectos, ex historiis didicimus, Cuspinian. *in eor. vit.* Limn. *lib. 2. jur. publ.*
71. *cap. 2. n. 64.* † Cumq; in Electoribus octodecim anni legitimam & perfectam constituant ætatem, ex præscripto Aureæ Bullæ *tit. 7.* non imperfectiorem eam in Carolo qvisqvam habuisset, qvippe qvi annum undevigesimum attigerat, jam ante triennium, annô scilicet ætatis suæ decimô se-

ptimô,

primô Regnis Hispaniarum hereditariis præfectus, ac rebus gerendis assuetus. † *Qvin nec qværendus est*, monebat Moguntinus, *senex Imperator, ut cùm biduum aut triduum imperavit, postea de electione novi tumultus oriantur*. in voto suo, qvod refert Georg. Sabin. *de elect. & coronat. Carol.V.* Additq; porrò: *Utetur etiam avi sui Maximiliani Imperatoris defuncti Consiliariis & Germaniæ Principibus aliqvot delectis*, Sleidan. *dict. pag. 22.* † qvo ipsis omnem scrupulum, si qvâ resideret, removet. Qvod si enim vel præcipitanter nimis, vel non maturô consiliô à Carolo in tenerâ adhuc ætate qvidqvam forsan tentari metuendum esset, Consiliariorum avitorum prudentiâ & gravitate id facilè correctum iri spondet; † ipsô ordine rerum naturalium flagitante, ut juniores à provectioribus ætate, & adolescentior impetus senili prudentiâ regatur. Ex qvo etiam non minor Imperatoris autoritas speranda: Nec enim qvidqvam pulchrius nec conspectius, † qvàm qvòd pulcherrima pubes gravissimô hominum senum, & canitie capitis reverendorum Consiliariorum agmine stipata incedat. Nec etiam Principis, qvàcunq; ætate sit, magis condecorat latera, comitatumq; honorificentiùs exornat, qvàm prudentum Consiliariorum canities: unde totius Principatûs profluit autoritas, & maxima hinc regnantis dignitas in hominum admirationem abducitur, Anton. de Guevar. *horol. Princip. libr. 3. cap. 58.*

72. 73. 74. 75.

CAPUT IV.

Votum Archiepiscopi Moguntini effectivum.

XXXIV.

PRo Carolo Austriaco Rege Hispaniarum † cùm ita steterit Albertus Archiepiscopus Moguntinus, expugnando Regis Galliarum Francisci electionem, qvid per hoc effectum, meritò forsan qvis scire expeteret? Multùm sanè is sibi persvadeat velim, suffragia namqve reliqvorum Coëlectorum votô suo attraxit Septemvir Moguntinus. † Qvo de ita Sleidanus noster: *Tertiô locô verba fecit Saxoniæ Dux Fridericus, & ubi Gallum excludi lege, Carolum verò germanum esse Principem, inqve Germaniâ domici-*

1. 2.

domicilium habere demonstrâsset, opus esse Republicæ aliqvo præpotente, dicebat: Sed qvi cum Carolo sit conferendus, neminem se talem novisse: Placere ergò sibi, ut is renuncietur Cæsar, veruntamen certis legibus, ut & Germaniæ sua libertas constet, & ea, de qvibus facta sit mentio, pericula vitentur: Hanc demum sententiam ubi reliqvi comparâssent, &c.

3. † Calculô ideoqve suô reliqvi Coëlectores suffragium Moguntini comprobavère, & unanimiter in hoc itum est, ut Carolus designaretur Imperator. Non eqvidem primitùs argumenta Mogun-

4. tini † Treverico tanti videbantur momenti, ut propterea vadimonium deserendum statuerit, non modò sermone prolixo votum suum dirigens in personam Francisci gallici, additô multis de periculis monitô, eoqve animos qvorundam in suspensô aliqvantulùm tenens, referente Georg. Sabin. & Franc. Guicciard. *lib.13.* Sed etiam Coëlectorum suffragationi annectens, Germaniæ fatum & jam impẽdentem se agnoscere mutationem, Sleidan. *pag.*

5. *26.* † Attamen in eorum tandem transiit sententiam, cumq; electio Caroli Germaniæ utilis & proficua fuerat visa Coëlectoribus, ab ipsorum judicio voluntatem suam removere noluit, Sleidan. *dict. loc.* non tàm amore Caroli, qvàm studio concordiæ ad hoc compulsus, Georg. Sabin. *de elect. Caroli V.* Sive autem vota hæc Electorum fuerint deliberativa, sive conclusiva solennia, licèt utra-

6. q; eôdem niti fulcrô existimemus, † totius tamen Collegii suffragatione votisqve communibus Carolus ad Imperium est evectus. Nec etiam Septemvir Trevericus, ut maximè in dissensu suo substitisset, impedire hoc potuisset, reliqvis non modò consentientibus, sed majori etiam parte Collegii Carolum designante Imperatorem, unde legitima demum Imperatoris ad summum Im-

7. perii culmen est vocatio atq; electio, † non certè talis, licèt plures, sive duo, sive tres cõvenerint Electores, reliqvis inter se dissentiẽtibus, ut benè hoc explicat & exemplô declarat Dom. Arum. *in dis.*

8. *2. ad Aur. Bull. lib 2. th. 6.* † Ita namqve cum ipso intellecta volumus verba prædictæ Bullæ: Es sey dann zuvor durch sie/oder den mehrern theil unter ihnen ein weltlich Haupt erwehlet, nimirũ ut eligatur Rex Romanorum â pluribus, seu majori totius Collegii par-

9. te; † qvia electio non pertinet ad Septemviros ut singulares personas, sed ut ad Collegium & universitatem, Lupold. de Babenberg. *de jure regn. cap. 6. & 12.* Qvò & inclinat constitutio Ludovici

Bava-

Bavari: *Decernimus*, inqvit ille, *ut electus in Imperatorem concorditer vel à majori parte Electorum censeatur & habeatur ab omnibus pro ipso & legitimo Imperatore*, apud Hier. Balb. *in libr. singul. de coronat. cap. constitut. Ludov.* & Alber. à Rosate *in l. benè a Zenone. C. de qvadr. praescript.* † Verbis autem clarioribus hoc exprimit Onuphrius Panvinius: Qvatuor enim suffragia, ait, & non pauciora ex septem Electoribus Imperatorem vel Regem creant, *de comit. Imper.* cum qvo transeunt alii à Gerlac. Buxdor. allegati *ad c. 2. Aur. Bull. th. 35. lit. e.* Atq; hinc Rupertus qvatuor Septemvirorum votis legitimâ electione ad Imperium pervenit, reliqvis licèt dissentientibus, Aventin. *lib. 7. annal. Bojor.* † Pleniori autem electionis jure & totius Collegii Electoralis nutu ac voluntate Carolo nostro sceptra Imperii germanici fuerunt delata. 10. 11.

XXXV.

Felicior itaq; fuit electionis successus, † & ex voto Maximiliani Imperatoris saltem post obitum ejus, qvi adhuc vivus in Comitiis Augustanis brevi antea habitis, multis precibus ab Electoribus impetrare haut potuerat, ut Carolum nepotem designarent sibi sucessorem, Jacob. Aug. Thuan. *lib. 1. histor. circa finem Anni 1518.* † Omnium verò postea votô hìc ad Imperium fuit evectus, ut subitam hinc conclusi Electoralis mutationem non abs re aliqvis miraretur; sed unde hæc nata, ex prædictis sat perspicuum est. Prævaluit enim Septemviri Moguntini suffragium, † ab ipso ceu Collegii Electoralis Decanô tantâ prudentiâ dictum, tot rationibus suffultum, tantâq; gravitate prolatum, ut à Trevirico reliqvi Coëlectores in partes Francisci Galliarum Regis haud trahi potuerint. Nolumus † enim qvidqvam fidei famæ tribui vanissimæ, cujus meminit Thuan. *alleg. loco, sub pr. Anni 1519.* Suffragatorum nempe sententias fuisse venales, magnâq; invidiâ Septemviros laborâsse, qvòd ab utroqve Principe acceptâ ingenti pecuniâ, ac præcipuè à Francisci ministris, tamen Carolo, ac non potiùs cuivis ex suo Collegio Imperatoriam dignitatem adjudicâssent. † Tutiùs forsan dixisset ac veriùs scripsisset Thuan. Candidatos Imperium germanicum affectantes ambos suffragia Septemvirorum conqvirere argentô præsumsisse, non tamen hôc medio extorsisse, † nec ipsa vota fuisse venalia, in qvo assentientes habuisset Sleidanum *lib. 1. hist. pag. 26.* & Francisc. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

Guicciard. *libr. 11 pag. 284.* Sed verè provocat Thuanus ad famam,
18. qvam qvidem appellitat constantem, † at nos vanam & inconstantem, qvæ eundo vires acqvirit, & mendaciis ac conjecturis eorum, ad qvos pervenit, increscere solet, ac secundùm Qvintilianum *lib. 5. orat. instit. cap. 3.* sermo est sine ullo certo autore dispersus, cui malignitas initium dedit, incrementum credu-
19. litas: † hinc ut plurimùm fallax, falsa & mendax, *l. pactum 92. ff. de hered. instit.* nec tùm qvidem, cum aliqvid veri asserit, sine mendacii vitio est, juxta illud Virgilii: *Hæc est mendosæ vulgata licentia famæ*, & Senecæ: *Fama verò vix favet*, Zanger. *de qvæst. cap. 2. n. 82.*
20. † Dexteritatem autem Septemvirorum ab omni corruptione alienam ac violatam qvò vindicemus, cogit nos eorum dignitas & respectus, omnē penitus sinistram suspicionem excludens, qvippe qvorum autoritas ac fides publica longè major est, qvàm qvæ olim vel Præfecto prætorio, vel aliis veteris Reipublicæ majoribus Magistratibus convenerit, Kirchn. *in Morvill. libr. 1. cap. 2. num. 39.*
21. Warem. ab Erenb. *de fœder. pag. 1. n. 147.* † qviqve sunt patres ac Senatores Imperii, uti seipsos nuncupârunt apud Hortled. *de bello germ. lib. 1 cap. 37. n. 511.* nobilia Imperii fulcra & columnæ, qvi veluti alter Atlas ruinosam Imperii molem gratiâ Dei ab interitu vindicant, Carol. IV. *in præf. Aur. Bull.* qvorum præsidiô dextera Imperialis potentiæ roboratur, *tit. 3. §. 1.* latera Imperii, palmites Imperiales, & septem candelabra in unitate spi-
22. ritûs septiformis lucentia, *dict. pr. A. B.* † Sine piaculo igitur nemo Historicorum corruptionis eos insimulabit, argentoqve vota electiva comparari posse, qvisqvam seriò affirmabit, idqve si fecerit, juramentô in ipso electionis actu ab iis præstitô falsi exem-
23. plò convictus erit; † Jurant siqvidem, se electuros Regem Romanorum in Cæsarem promovendum, qvi ad hoc existat idoneus, idqve se facturos absqve omni pacto, stipendio, pretio vel promisso, seu qvocunqve modo talia valeant appellari, Henning. Gœden *de elect. Reg. Roman. cap. 5*, Onuphr. Panvin. *de comit. im-*
24. *per. cap. 10.* † Vota hinc qvi à Septemviris Carolo Austriaco vendita dixerit, eos perjurii Reos faciet, non sine pœnâ flagitii sui. Minimè omnium verò famæ Friderici Saxoniæ Electoris
25. labem hanc aspergi patietur, † cui ignotum haud est, triginta

flore-

florenorum millia à Caroli Legatis sibi oblata eum constantissimè rejecisse, cùmqve urgeretur, ut decem millia ministris suis dare liceret, id responsi dedisse: Accipiant, si velint, attamen nemo valebit postridie apud me, qvi vel aureum acceperit, Erasm. *lib. 4. epist. 15.* † Ita cùm senserit electione jam peractâ & finitâ, ubi corruptionis suspicioni locus ulterior non esset, qvid ipsum re adhuc integrâ facturum vel responsurum fuisse existimabimus, qvando salvâ jurisjurandi fide, pecuniæ qvidqvam accipere haud potuisset? † & qvorsum admonitio Septemviri Moguntini ante electionis actum ad Coelectores: Non dubitare se, gubernari Collegium Electorale à DEO, qvi, si legibus sint obtemperaturi, si pietatem, fidem & diligentiam, qvantum prospici hominum mentibus potest, præstituri, aspiraturus sit ipsorum consiliis, ut electio sit fausta ac felix patriæ, ac universo nomini Christiano, apud Goldast. *in polit. imper. part. 1. p. 124.* Qvorsum nempe hæc, si tàm parvi habuissent suffragationem, ut pecuniâ etiam temperari illam sivissent? 26. 27.

XXXVI.

Evectus † igitur est Carolus Rex Hispaniarum ad Imperium germanicum legitimâ electione & liberò omnium Septemvirorum votô, qvod non modò Collegium Electorale laudatissimum novo Imperatori per Fridericum Comitem Palatinum in molendino Regio significari fecit: Ipsum nempe, tanqvam inter idoneos pace & bello maximè idoneum, unanimi atqve concordi suffragio votoq; in Romanorum Regem, futurum Imperatorem, totius Orbis moderatorem fuisse designatum, apud Goldast. *in polit. imper. part. 1. membr. 8. Rubr. Legatio ad Cæsarem Carolum V. Hispaniarum Regem &c.* † Sed idem etiam nomine Collegii Electoralis publicâ renunciatione Moguntinus Septemvir universo intimavit populo, gratias imprimis agens DEO, qvòd summâ concordiâ & consentientibus Electorum Principum suffragiis res tanta perfecta esset; multaqve addens pro commendatione novi Imperatoris, ac tandem sermonem publicum ita concludens: † *Qvare qvantum humanitùs provideri potuit, elegimus Imperatorem, in qvo cum virtute potentia est conjuncta, ut ejus vires præsidio essent Religioni, Imperio, & universo nomini Christiano &c.* 28. 29. 30.

Cum

Cùm verò tenorem hujus renunciationis integrum suppeditent nobis scripta Goldasti *in polit. imper. dict. part. 1. p. 133. & seqq.* exscriptam huc eam transferri nolumus. † Qvid autem ad hoc
31. populus? *Moguntino hæc renuncianti*, scribit Georg. Sabin.. *cum plausu acclamabat: Nihil enim omnibus Ordinibus erat optatius qvàm eludi expectationem Gallorum, qvi Imperium sibi despondерant; Audito itaq; Caroli nomine, omnes unâ voce & consensu electionem appro-*
32. *babant:* † *Agebant gratias Deo Optimo Maximo, primùm qvod metus civilium bellorum sublatus erat consensu suffragiorum: Deinde qvod omnes judicabant divinitùs orbi terrarum salutarem Principem datum esse. Omnes jam tum ominabantur, hujus Caroli virtutem & felicitatem præsidio futuram toti Europæ: omnes vota faciebant, ut auspicia essent fausta & felicia.* Georg. Sabin. *in descriptione hujus ele-*
33. *ctionis.* Delatum † hinc sibi Imperium Carolus Rex Hispaniarum cùm animadverteret, se qvasi divinâ voce tantô consensu totius patriæ vocari, etsi videbat, qvanta rerum moles sibi imponeretur, tamen & Deo obtemperandum, & patriam non destituendam existimans, acceptavit, mentem ac voluntatem suam promtissimam erga Fridericum Palatinum, Collegii Electoralis Legatum per Oratorem suum Mercurium Cattinarium prolixo &
34. luculentô sermone declarans, † cujus tenorem exhibet prædictus Sabin. apud Goldast. *in polit. imper. p. 1. fol. 136.* Et hinc ultimus se exseruit voti Moguntini effectus, felix sanè & jucundus Carolo; qvanta enim hinc fuerit lætitiâ perfusus, vel inde conspicuum, qvòd non modò nuncium, qvi cum aliis in Hispaniam diurnis nocturnisqve itineribus contendens cæterosqve antevertens, & nonô die, qvo Francofurdiâ profectus, Barcinum in Hispaniâ perveniens, bona nova in cubiculo adhuc ipsi qviescenti
35. attulisset, magnô auri pondere donaverit, † sed & Collegii Electoralis Legatum, cognitô ejus adventu, ad tria fermè milliaria obviam ei procedens, & benignè & comiter exceperit, ac statim amplissimis muneribus ornatum dimiserit, Sleidan. *pag. 26.* Sabin. *loc. allegato.*

XXXVII.

At num tandem feliciter cesserit electio hæc per omnia, ambi-
36. get forsan, qvi, † qvantæ calamitates ex bello germanico inter Carolum

toluta V. & Principes ac Status Imperii Evangelicos exortô, Germaniam afflixerint, fulmenqve proscriptionis qvàm rigorosum in B. Lutherum fuerit conjectum, ex scriptis Hortlederi, Sleidani, aliorumqve Historicorum didicerit? Fatemur sanè, non semper eventum per omnia respondere electioni, † nec qvi boni Principes per suffragia ad Imperium & gubernationem sunt evecti, tales semper existere, qvippe qvi sæpissimè ad fastum, vim & superbiam sunt proclives; nec inficias ire possumus, Carolum Imperatorem aliqvando duriusculè egisse, † & ut Pontifici gratificaretur, eoqve mediô juramenti Neapolitani remissionem, Cæsareæ inaugurationis approbationem, fœdusqve contra Gallum obtineret, humani qvid passum fuisse, qvo de nos satis informant Sleidan. *lib. 3. comm. pag. 66.* Franc. Guicciard. *lib. 13.* & Samuel à Remching *de pac. Relig.* apud Goldast. *in polit. imper. part. 30.* † Sed num propterea omni laude illum velimus dejectum, ejusqve electionem in Imperatorem haud feliciter cessisse asseverabimus? Veremur omninò, ne falsi absqve negotio convincamur, † si qvid tandem felicitatis Evangelici in causâ religionis per pacem Religiosam, ac Proceres & subditi in universum omnes per administrationem justitiæ dexterrimam patriæqve Germanicæ defensionem spiritu animoqve heroico ac studiô indefesso ab Imperatore Carolo susceptam obtinuerint, recordemur, † ac ne qvod Elector Moguntinus auribus Coëlectorum insusurraverat, incommoda, qvæ ab electione Caroli eos deterrere possent, fore longè minora commodis, qvæ inde sint nascitura, audire cogamur. Felicitate igitur suâ † constitit votum Electoris Moguntini, qvo feliciter Carolus Hispaniæ Rex Imperator fuit designatus; infelicem verò Franciscus Rex Galliarum repulsam tulit; de qvo ita cecinit † Hermannus Nuenarius Comes:

37. 38. 39. 40. 41. 42. 43.

Cùm sis Franciscus Gallus, Rex Gallice, qvum sis,
Imperium poscis qvâ ratione tibi?
Franciscus nemo est hôc Cæsar nomine factus,
Nec Gallus me qvis sospite Cæsar erit.
Cæsar Germanus mihi Rex & Carolus esto,
Qvare Francisce & Galle repulse vale.

K apud

44. apud Goldast. *in polit. imper. pag. 1. tract. 6. in fin.* De † cætero cùm Archiepiscopus Moguntinus, qvidqvid votô suo est elocutus, ex archivis Electoralibus ceu hujus Collegii Decanus & Archicancellarius per Germaniam depromserit, multùm hinc Studiosi politices ac jurisprudentiæ informari, iisqve dogmata politicorum firmari, vel saltem non infirmari possunt, qvæ penitus silentiô præterire piaculum foret. Pauxilla ideoqve subnectere lubescit; Sitqve

DOGMA I.

Ratio status monstrum rationis haud est, si non à dictamine rectæ rationis recedat.

1. RAtionem statûs, qvæ Italis est *Ragione di stato*, Gallis *Raison d' estat*, & propriè nil aliud, qvàm respectus & consideratio salutis atqve incrementi Reipublicæ; effectivè Politici utplurimùm accipiunt, indigitantes hâc voculâ
2. † effectum potiùs rationis statûs, qvàm ipsam statûs rationem; Unde eam Arnold. Clapmar. vocitat jus dominationis, ab hujus tamen arcanis subtiliter distinctum *lib. 4. cap. 3.* alii exceptionem regiam; vel jus exorbitans: Legem limitatoriam à regulis juris communis recedentem: aut dispositionem dispensativam,
3. Clapm. *dict. lib. 4. cap. 2.* † Cum qvibus si rationem statûs ita acceperimus, restrictô tamen hôc jure ad secretiorem qvandam politicæ partem, non malè eam videtur definire Wilhelm. Ferdin. ab Effern *in manual. polit. lib. 1. punct. 1.* prudentiam gubernandi, au-
4. gendi & conservandi Rempublicam; † Generaliùs aliqvantulùm Palaz. *de gubernat. & verâ stat. rat. part. 4. cap. 17.* regulam & normam omnes res moderantem, & ad debitum suum finem perducentem. Verissimè autem ac propriè Scipio Ammiratus *dis-*
5. *sert. polit. in Tacit. lib. 12. cap. 1.* † juris communis propter publicum beneficium, aut propter majorem aliqvem & universalem finem, derogationem. Nimirum qvia jus dominationis non causas privatorum, vel unius atq; alterius commodum & utilitatem, sed totius Reipublicæ salutem concernit, regulis juris & legibus positi-

positivis id neqvaqvam præcisè est adstringendum, † ne unius 6.
jacturam evitando, Rerumpublicarum moderatores salutem universorum pessundent, ut verè dixerit Plutarch. † à justitiâ 7.
in parvis rebus nunqvam abeas, si salvam voles eam in magnis. & Cato: Nulla lex satis commoda est, id modò qværitur, si majori parti & in summâ prodest, Clapm. *dict. libr. 4. cap. 4.* † nec 8.
rei hujus exempla antiqvitùs ignota fuêre, si vel saltem qvid Julianus responderit, attendamus: *Multa enim*, inqvit ille, *jure civili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse, idq; innumerabilibus rebus probari posse, in l. ita vulneratus. 51. §. 2. ff. ad leg. Aqvil.* unde etiam Seneca: JCtorum responsa valere, etiamsi ratio non reddatur. † Et qvorsum illud Moysis: Dele 9.
me potiùs ex libro vitæ, & populo peccatum condona. Qvorsum etiam actiones & consilia DEI immortalis, unicum ac innocentissimum Filium suum neci dantis boni publici causâ, hoc est, propter salutem humani generis, Caiphâ ignoranter hoc eloqvente: Expedit hominem mori pro populo. † De qvibus ta- 10.
men & id genus aliis, qvia sunt supra captum humanum, reverenter ac sobriè sentiendum, monet Clapmar. *cit. libr. 4. cap. 2.* A jure interim communi salutis publicæ causâ tutò recedi hinc infertur, † etiam sub specie iniqvitatis, qvam unus vel alter 11.
privatus sustinere videtur, juxta divinum illud Cornelii Taciti effatum: Habet aliqvid ex iniqvo omne magnum exemplum, qvod contra singulos utilitate publicâ rependitur. † Hoc verò 12.
qvi haud perpendunt, privatorum duntaxat jacturam deplorantes, non possunt non ruere in vulgi errorem, jus hoc dominationis ac rationem status tot conviciis, tot detestationibus proscindentis. † Originem illam traxisse ex tyrannide & atheismo, ve- 13.
luti Pius V. Pontifex eam diaboli rationem appellitâsse fertur: Esse monstrum & portentum rationis, tyrannidem & plenitudinem tempestatis rectiùs, qvàm potestatis: flagitium dominationis, à diabolo, non ab homine prolatum: insanientium potius, qvàm jurisprudentium inventum; † & qvæ sunt sexcenta 14.
scommata alia, qvæ videre licet apud Warem. ab Erenb. *de subsid. Reg. cap. 15. n. 16.* Theodor. Reinking *de regim. secul. & ecclesiast. lib. 2. class. 1. cap. 1. num. 45. usq; ad fin.* ubi discursum

 ita

15. ita concludit: † Postqvam justitia in terris desiit habitare, successit status ratio, calamitatum mare, Petr. Syring *de pac. relig. th. 17. l. t. C.* Sed frustra sunt ac nimis superstitiosi, qvi jus hoc dominationis sive rationem status tantoperè detestantur, convitiisq; damnant, † qvibus nostram intentionem neqvaqvam pungunt, sed
16.
errorem eorum detegunt, qvi sub specie rationis status, Principibus absolutissimam tribuunt potestatem, iisq; contra jus etiam
17. divinum & rectam rationem omnia licere contendunt: † Eamqve ita qvalificatam, verè nominat Wilh. Ferdinand. ab Effern *dict. loc.* decretum seu consilium arcanum solis Regibus & politicis servatum, qvô in omnem eventum actiones suas excusare &
18. defendere possunt, qvin & *punct. 12. pag. 78.* eam appellitat † dulce venenum & idolum Principum, qvæ ipsam pessundat justitiam & regna subvertit. De qvâ etiam accipiendum illud, cujus meminit Reinking *dict. cap. 1. n. 48.* dicterium: Postqvam status ratio irrepserit, nec institutiones Catecheticas, nec Aristotelis Ethicam, nec Officia Ciceronis pensi apud qvempiam habere. Ni-
19. hil verò hæc ad nos, † qvi defensores existere nolumus personatæ illius rationis status, in nullo rationis momentô fundatæ, sed lubidini voluntatis pro ratione usurpatæ tantummodò in-
20. nixæ; † qvâ usus Pharao, sapienter ut sibi videbatur, Israëlitas opprimens, *Exod. 1. v. 10.* nec non Athalia in interficiendô semine Regio, *4. Reg. cap. 11. vers. 1.* & filii Jacob in opprimendis Sichemi-
21. tis, *Genes. 34. vers. 14. & seqq.* Exactiùs enim † si qvis hanc status rationem examinaverit, nec rationis nec prudentiæ speciem aliqvam deprehendet, sed meram calliditatem cum injustitiâ & cru-
22. delitate junctam: Qvam haut agnoscimus, † nec votô nostrô volumus probatam, in verâ ac justâ ratione status subsistentes; illâ nimirum, qvæ DEI & juris præceptis confirmatur, ac dictamen
23. rationis admittit, † licèt à jure positivo exorbitet, ac correctionem seu dispensationem potiùs aliqvam propter bonum publi-
24. cum recipiat; Giurb. *in consil. crim. 1. n. 3. & seqq.* Effern *dict. loc.* † Sicut namqve jus naturæ corrigitur à jure gentium: jus gentium à jure militari: jus militare à jure legationis: jus legationis à jure civili: Ita hoc jus civile iterum corrigitur, sibiqve veluti frenum injici patitur à jure, qvod est Regni vel domina-

minationis, sive statûs ratione, Arnold. Clapmar. *dict. lib. 5. de arcan. Rerump. cap. 1. in fin.* qvem adeat, qvi jus hoc exemplis declaratum cupit, qvibus scatet totus *lib. 4. de jur. dominat.* † Miretur hinc nemo, si Princeps ordinet ac disponat aliqvid contra leges etiam fundamentales, qvæ cùm structuram Reipublicæ conservare debeant, in ejus perniciem obligare Magistratum haut possunt. 25.

Discere hoc licet † ex voto Moguntini, qvi tanti non habuit Leges Imperii & observantias Majorum, qvin pro statûs ratione ab iis recedendum existimaverit: *Non eqvidem*, inqvit, *istud negare velim, sed alius tunc erat temporum status & ætas multò felicior: Nunc verò si qvis erit Cæsar infirmior, an qvi sunt ditionis Caroli, Belgas & Austriacos dicto fore putatis audientes?* Joh. Sleid. *lib. 1. histor. p. 21.* 26.

Idemqve † passim repetit & suffragium totum ad rationem statûs præsentis accommodat. Clamitet jam licèt Joh. Bodin. Leges Imperii fundamentales nec mutari nec abrogari posse, *lib. 1. de Republ. 8.* 27.

† haud tamen efficiet, qvo minus ab Aureâ Bullâ, qvæ præcipua verè est lex fundamentalis & fulcrum Imperii, recedatur. Tueri enim valet defectionem hanc Ratio statûs, 28.

† ob qvam non Elector Coloniensis, cui honorem hunc defert A. B *tit. 4.* sed Archiepiscopus Moguntinus in coronatione Rudolphi II. Matthiæ, & moderni Imp. Dn. Ferdinandi III. consecratoris officiô functus, qvin & cum reliqvis Electoribus ecclesiasticis Rudolpho II. coronam imposuit, qvod etiam in proximè præcedenti electione à Moguntino & Coloniensi factum percepimus. 29.

† Parili statûs ratione nihil contra debitam agit reverentiam Serenissimus Saxoniæ, vel qvisqvam alius Elector, qvi repudiatâ religione pontificiâ Missæ consvetæ ante actum electionis decantandæ interesse nolit, ut maximè Lex fundamentalis Septemviros ad hoc adigat, *in Aur. Bull. tit. 2.* 30.

† Et qvis nescit, Imperatores qvondam Coronam Francofurdi suscepisse, Ferdinandum scilicet I. Maximilianum II. Matthiam, & Ferdinandum II. ut est videre ex relatione actuum coronationis apud Goldast. *part. 1. polit. imper.* 31.

† qvin & Rudolphum II. & Ferdinandum III. Ratisbonæ fuisse coronatos, qvantumvis lex Aur. Bullæ fundamentalis Aqvisgrani Reges Romanorum coronari jubeat *in tit. 28. §. 5.* 32.

† Num irritum propterea coronationis actum autu- 33.

bimus? *Faceremus* forſan hoc, niſi ratio ſtatûs ei ſuccurreret.
34. † Qvæ ipſa etiam juvit actum electionis Ferdinandi I. Coloniæ, Maximiliani II. Rudolphi II. & Ferdinandi III. Ratisbonæ celebratum, Sleid. *lib. 7. hiſtor.* & Thuan. *lib. 31. & 60.* contra ſanctionem Legis, qvæ locum electionis definit Francofurdum ad Mœnum, *dict. tit. 28.* Plures nobis † ſuppeterent actus contra
35. Aur. Bullam ſuſcepti, ſi non inſtituto eos referre prohiberemur, qvos ſola Statûs ratio jure tuetur. Ceſſent igitur qverelæ Politicorum de collapsâ Aureæ Bullæ juſtitiâ, & partim exoletâ prorſus, partim abrogatâ ejus Legis obſervantiâ, Cyriac. Spangenberg *in chron. Saxon. pag. 289.* Goldaſt. *in Bohem. lib. 4. cap. 6.*
36. *num. 22.* † ne qvi eas repetunt; nimiumqve Leges fundamentales urgent, in rationem ſtatûs impingere videantur.
37. † Qvàm malè hinc etiam agant oſores qvidam pacis Germanicæ, tranſactionem Oſnabruccenſem propterea in dubium vocantes, qvòd per eam numerus Electorum ſeptenarius fuerit auctus, iisqve octavus Elector additus Carolus Ludovicus Palatinus, ne Maximilianus Bavarus Septemvir loco cedere coga-
38. tur, hæc ipſa ratio ſtatûs expeditum reddit. † Prædictam nimirum legem Aureæ Bullæ fundamentalem objiciunt, in qvâ paſſim & vix uno non in articulo, qvorum triginta in utero geſtat, ſi non expreſsè, haud obſcurè tamen numerum ſeptenari-
39. um firmat, vel ſaltem præſupponit; † à qvâ ſanctione tot curis & vigiliis excogitatâ, tot conſiliis fultâ, tot autoritatibus probatâ haud recedendum ajunt, præſertim cùm Status Imperii unà cum Imper. Carolo IV. Legem illam in perpetuum dura-
40. turam voluerint, veluti apparet *ex tit. 3. 7. 8. & 9. Aur. Bull.* † Ac certè fateri oportet, ſeculô priori piaculum fuiſſe viſum Electoribus, à numero ſeptenario deflectere, aliumqve ſuperaddere, qvi æqvalia facere poſſet vota, inconvenienter omninò, ſi non major pars Electorum in certum aliqvem ad fa-
41. ſces Imperii evehendum conſentiret: † Cùm enim Maximilianus I. Imperator de jure ſuffragii in electione Imperatoriâ Archiducibus Auſtriæ communicando Septemviros Electores ſolicitâſſet,
42. repulſam tulit, & graviter hi poſtulatis Maximiliani reſtiterunt, vel ex hôc unicô fundamentô, † ne antiqviſſima pariter & prudentiſſima majorum inſtituta mutarentur, prout ſcri-

ſcriptum reliqvit Hartm. Maur. *de coronat, Caroli V.* & Marqvard. Freher. *ad Petr. de Andlo lib. 2. cap. 1.* † Eademqve ſors contigit ſuperioribus annis Gabrieli Bethleno Transſylvaniæ & Zeculorum Principi, Electores ac Principes unitos imploranti, ut Regi Ungariæ exemtpo alioqvin, honos Electoralis haberetur, jusqve ſuffragii in electione novi Romanorum Regis, ceu octavo Electori benignâ largitione concederetur; † abnuerunt ſiqvidem precibus ejus Sereniſſimi Principes, ſi fidem demus Autori der Anhältiſchen geheimbten Cantzley/ qvem Volradus à Pleſſen, Conſiliarius Palatinus (ut qvidem ab Herciniano appellitatur) indigitat Wilhelmum Jocherum, JCtum & Conſiliarium Bavaricum, ſive Doctorem Leickhardum, Melch. Goldaſt. *in Bohem. lib. 3. cap. 5. n. 5.* Sed hæc † ſi ratio ſtatûs haud obſervetur, vel nulla ſubſit ratio prægnans, ob qvam legem illam fundamentalem miſſam faciant Principes Imperii: qvare nec Maximiliani I. Jmperatoris petito deferendum duxére; Qvæ enim ratio hujus periti? Vel nulla, vel ſatis ſuſpecta: † In ſuſpicionem namqvé vocabat conſilia Septemvirorum, ac ſi ea Domui Auſtriacæ perniciosa coxiſſent, qvę interventu Archiducis Auſtriæ temperare allaborabat, prout colligere eſt ex ſcripto Windeckii *de Electoribus.* Privato hinc domûs Auſtriacæ commodo Maximilianus intendebat; † qvod tanti non habuerunt Electores, pro Republicâ ſolliciti, ne qvid detrimenti apertô ſive Marte, ſive per cuniculos capiat excubantes, ut propterea à lege fundamentali recedendum exiſtimâſſent. † Nec prægnantiorem poſtulati ſui cauſam prætexere potuit Transſylvaniæ Princeps, titulô fretus antiqvô ex monumẽtis hiſtoriarum, in qvibus Pannoniæ Principi jus eligendi qvondam legitur competiiſſe, apud Guntherum *in Ligurino,* & Donatum Boſſium Mediolanenſem. Cùm verò † notante Goldaſtô hiſtoria Guntheri; Ungariæ Regi non eligendi, ſed prætaxandi, hoc eſt, nominandi jus tribuat, nec tum ſufficientem ſubeſſe cauſam viſum fuit Electoribus deflectendi ab Aur. Bullæ præſcriptô, tantâ antiqvitate & obſervantiâ firmatô, Goldaſt. *dict. loc.* † Qvo autem rationis momento accommodare hæc liceret ad tractatus de pace recuperandâ Osnabruccenſes, & ad componendam litem ſatis periculoſam inter Maximilianum Bavarum

43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50.

varum

varum & Carolum Ludovicũ Palatinum, qvorum ille Electoratu
51. discedere erubescebat, hic verò eum recuperare studebat: † Ex qvô litigiô cum vel de pace stabiliendâ desperandum, vel ruina Imperii germanici pertimescenda erat, remediô hôc exorbitante & augmentô numeri Electorum septenarii malum illud averruncare Ratio status Principes coëgit, non absq; momento rationis sufficientissimo, prægnantissimo.
52. † Eaq; sat virium habet removendi obices, si qvâ alii vel ex ablatione ditionum, vel commutatione Episcopatuum bonorumq; ecclesiasticorum in Ducatus ac Principatus, restitutioni pacis opponantur;
53. † Salus enim Reipublicæ, qvæ lex est principalior, leges etiam fundamentales attemperare permittit, Sveton. *in August. cap. ult.* Albert. Crantz. *lib. 3. Saxon. cap. 13.* Id tamen scrupuli remanebit forsan, qvòd legibus fundamentalibus ceu fulcro firmissimo innitatur moles Imperii, † qvô sublatô, salus Imperii & totum Imperium qvomodo non evertetur? veluti infert Nicol. Cusan. *de concord. cathol. lib. 1. cap. 2. n. 29. & seq.* Machiavell. *p. 1. theor. 1.* Scrupulum hoc omninò facesseret, si universas Imperii leges simul ac uno ictu, & qvidem nullô rationis momentô haud urgente, funditus everti concederemus:
54. † Sed cùm de unius vel alterius solummodò legis fundamentalis suspensione ac dispensatione certô modô pro ratione status qvalificatâ heîc sit negotium, nil inde nobis metuendum erit, cùm ex parili etiam status ratione aliæ atqve aliæ leges fundamentales qveant promulgari, Casp. Ens *in libell. de elect. & inaug. Regis Romani. cap. 1.*
55. † Qvin & verè dixerimus, nec dispensari nec adimi qvidqvam autoritatis legibus fundamentalibus, si ratio status aliud exposcat, legibus neqvaqvam subjecta, qvarum ea est conditio, ut nec ulteriùs jubeant, nec ligent, qvàm rebus sic stantibus,
56. † qvod discere licet in scholâ JCtorum, *l. cum qvis. 38. ff. de solut. l. qværo 54. §. inter locatorem 1. ff. locat. qvod Servius 8. ff. de condict. caus. dat. ubi* Jason *num. 18.* Octav. Cacheran. *decis. 9. num. 2.* Andr. Tiraqvell. *in l. si unqvam. in præfat. num. 130. & 167. C. de revocand. donat.*

DO-

DOGMA II.

Ambigua non erit electio Regis Romanorum, si Moguntinus Septemvir primum exposuerit votum contra præscriptum Aureæ Bullæ: quod & fecit in electione Caroli V.

EX dogmate præcedenti pullulat aliud, æqvè à Lege funda- 1.
mentali propter rationem statûs exorbitans, si forsan con-
tingat in electione novi Imperatoris. Coëlectores à Mo-
guntino primum exqvirere votum: Contra sanctionem
Bullæ Aureæ id fieri, † inficias haud ibit, qvi verba Caroli IV. 2.
dubia reddere nolit per se indubia, *in cit. 4. §.* ferner so oft. *circa fin.*
vers. † Derer aller Churfürsten Stimm in itztgemelter Ord- 3.
nung der ehegenandte Bischoff von Mayntz erkundigen/und wann
solches geschehen/sollen die gemelten seine Mit-Churfürsten/Her-
tzogen von ihme begehren/daß auch er sein Gemüth und Meinung
ercláhre/ und ihnen seine Stimme offenbahre. ubi Arum. *in*
discurs. 3. conclus. 14. Irrita † num ergò & contra legem 4.
fundamentalem erit electio, si Moguntinus ultimò suffragium
dicere jussus, primùm dixerit? Posterius ex verbis Caroli IV.
modò adductis expeditum: † At prius non largimur, sed 5.
qvid statûs ratio suaserit, attendi volumus, qvæ actum ele-
ctionis à præscripto legis deflectentem sustinere valet, *Do-*
gmat. preced. Non enim simpliciter annuimus Dom. Arum.
posterioribus temporibus Legem Carolinam haud observatam
fuisse, *dict. conclus. 14.* sed pro ratione statûs Electores ab illâ
deviâsse, ultrò concedimus; † putà si reliqvi à Moguntino 6.
Præsule prudentiori majoriqvi experientiâ, qvâ Archicancel-
larius in Germaniâ creditur præ aliis pollere, edoctô, qvid è re Im-
perii, percipere & expiscari avidè expetierint: Urgens profectò
causa, unde nullum rationis monstrum pro statûs ratione vendi-
tandum. † Qvæ nec à more inferiorum Collegiorum prorsus 7.
aliena, in qvibus Decanum primùm loqvi videmus, Marc. *decis.*
1365. n. 12. p. 1. cui etiam ceu digniori primum tribuit suffragium

varum & Carolum Ludovicū Palatinum, [illegible] *catal. glor. mund.*
51. discedere erubescebat, hic verò eum recu[illegible] vel qvi ultimum oc-
litigiô eum vel de pace stabiliendâ de[illegible] vò explorari soleant
rii germanici pertimescenda erat, [illegible] ore Theologorum Uni-
gmentô numeri Electorum sept[illegible] ionibus tradit Nicol, Lyra
Ratio status Principes coëgit [illegible] † ac de Rotâ Romanâ
52. cientissimo, prægnantissi[illegible] Neapolitano Matth. de Af-
obices, si qvà alii vel e[illegible] ssime sanè, ne primi cæteris di-
Episcopatuum bon[illegible] autoritate, non judicio in partes
53. patus, restitutio [illegible] Tacit. *lib. 1. annal.* nec junioribus pu-
qvæ lex est pri[illegible] oribus contradicere. Langlæus *lib. 7. semest.*
permittit [illegible] moris observandi necessitate Decanus
cap. 13. [illegible] adeò obstrictus videtur Fabro, qvin pro ar-
men[illegible] velit, rogare qveat, licèt incipere aliàs con-
s[illegible] lori vel relatore, qvò nempe diligentiores at-
[illegible] investigationem singuli reddantur Se-
[illegible] primo locô & ante relatorem interro-
[illegible] qvod iis accidere neqvit, qvi post rela-
[illegible] m interrogantur, qvibus scilicet libe-
[illegible] ut in ejus, qvi prior dixit, sententiam
[illegible] in ulla illa sit, priùs apud se non delibe-
[illegible] *in Codic. lib. 1. tit. 7. defin. 4. n. 2.* † Ita
[illegible] & Præsides variare solent, ut nemini mi-
[illegible] contra morem & legem etiam primorum ac
[illegible] ab initio illicò percipere ac notare, haud sine ra-
13. tione æqvè ponderosâ, † ne experientiam Seniorum præve-
niat pluralitas votorum, in junioribus nondum benè informatis
collectorum, sed habeant hi, qvod discant & qvod seqvantur.
Hoc si in Dicasteriis & Collegiis inferioribus nemo facilè impro-
14. baverit, † qvidni in Collegio Electorali, qvo de electione
novi Romanorum Regis, causâ omnium difficillimâ agitur, idem
tolerandum qvis existimaverit, si nemperatio status id efflagi-
tet. Qvantumvis ergò Carolo IV. Aureæ Bullæ autori de ob-
servantiâ anteriori, qvâ primus dixerit votum Trevericus, atte-
stanti fidem habeamus maximam, *dict. tit. 4. verb.* und daß die ih-
15. me bißhero also gebüret/ befunden haben. † attamen & fide
suâ

suâ constat historia Guntheri, Moguntinum in electione Friderici I. Imperatoris primas dicendi partes sustinentem inducens, *in Ligur. lib. 1.* † Qvod & ipsius Friderici I. testimoniô firma- 16.
tur apud Radevicum Frisingensem *lib. 3. cap. 16.* & Schafnaburgensem *in annalib. Anno 1073.* veluti qvoq; † in electione Hen- 17.
rici V. primarium fuisse Moguntinum Electorem, refert Johan. Cuspinian. *in vitâ ejusdem*, qvod & factum in electione Friderici II. idem Cuspinian. *in vitâ illius*, necnon in electione Richardi, Krantz. *lib. 8. Saxon. cap. 21.* † Scilicet non ita præcisè inhæ- 18.
rendum Septemviri duxerunt sanctioni Aureæ Bullæ, qvin ratione statûs id exigente ordo votandi præscriptus inverti potuisset, ut hinc veniam mereatur Peucerus, qvi qvo numero, qvibus le- 19.
gibus, qvové ordine in electione sententiæ dictæ & lata fuerint suffragia, certò asserere non præsumit, in Otthone III. *lib. 4. Chronic.* Nec est qvòd rei hujus exempla altiùs repetamus, † 20.
cum & in electione Caroli V. votum dixerit Moguntinus I. referente ex Sleidan. *de stat. relig. lib. 1. p. 20.* Dom Arum. *dict. conclus. 14.* † Qvem tamen relationem Sleidani fefellisse autumat 21.
Joh. Limn. *de jur. publ. lib. 2. cap. 3. n. 60. & seqq.* Probat nimirum ille ex Georgio Sabino, relationem istam Sleidani accipiendam esse de deliberatione potiûs suffragationi præmissâ, qvàm de ipso suffragio: † ne alioqvin & in Friderico Saxone ordinem 22.
suffragandi mutatum asserere necessum habeamus; postqvam is tertio locô post Trevericum statim verba fecisse dicatur à Sleidan. *dict. loc. p. 25.* qvod idem refert Georg. Sabin. *de elect. Caroli V.* † atqve ita Moguntinum, ceu Collegii Electoralis De- 23.
canum consultationem duntaxat de instanti electionis actu cœpisse, & de qvibus subjectis in Regem Romanorum designandis deliberandum foret, Coëlectoribus intimâsse, actu electionis ipsô juxta præscriptum Aureæ Bullæ postea suscepto, & ordine votandi probé observatô, putat Limn. *loc. allegat.* † qvod in- 24.
primis firmare nititur ex *Protocollo electionis Caroli V. tit. 31* apud Goldast. *in polit. Germ.* qvod hæc suppeditat verba: Und wir Albrecht *Cardinal* als Ertzbischoff zu Mentz/&c. der andern unserer Mit-Churfürsten und geschickten Bottschafften Stimm und *Vota* nach Ordnung und Gesetz darüber gemacht/und jeden sonder-

25. lich gefraget und erforschet. Und wir &c. hinwiederum &c. † Ita
qvidem Arumæum à Sleidano falsum, differit Limnæus, Sed ve-
reor, ne ipse assertô suô speciosè satis propositô me fefellerit, ut
ei assentitus fuerim *in Comment. de Leg. Reg. german. cap. 11. sect. 8.*
26. *n. 9.* rectiùs postea edoctus à Georg. Sabino. † Concesserim
enim, deliberationem ante solennem electionis actum fuisse
susceptam, in qvâ Moguntinus mentem suam, & cui postea in
actu solenni suffragium daturus, satis exposuerit, qvem ordine
secutus Trevirensis: & hunc Fridericus Saxo, prout ex totô histo-
27. riæ Sleidan. & Sabini contextu satis perspicuum est, † impri-
mis verò ex præloqvio Moguntini, qvi consultationem hiscé in-
gressus verbis apud Sabin. *Et qvoniam hic congressus institutus est,*
non ut suffragia feramus, sed ut liberè colloqvamur cùm de universâ
Republicâ, tùm de electione: dicam, qvid mihi maximè videatur è
28. *Republicâ esse, &c.* † Attamen & postea cùm alius dies in suf-
fragium solenni more eundi constitutus fuerat, Moguntinum
primitùs locutum, ac votum priùs repetiisse, verbis testatur
29. manifestissimis idem Georg. Sabin. † *Itaq; rursus*, ait, *Sacrô*
publicè factô, Electores ingressi in Sacrarium interius templi divi
Bartholomæi suffragia ferunt hôc ordine: Cœtus Electorum reliqvus
interrogat Moguntinum, qvem eligat Regem Romanum & futurum
Imperatorem? Is respondet, se eligere Carolum Archiducem Austriæ.
Deinde & Moguntinus reliqvos interrogat. Hôc modo omnium con-
30. *sentientibus suffragiis Carolus electus est Imperator, &c.* † Qvid
clariùs dicere potuisset Sabinus, qvàm qvòd primum in actu ele-
ctionis solenni elocutus sit Septemvir Moguntinus suffragium.
31. Huic ergò qvia Dn. Limn. plenissimam attribuit fidem, † ab
ipsô utiqve convictus erit, se abs re Arumæum erroris ar-
guisse, præsidii parum sibi promittens *ex Protocollo hujus electio-*
32. *nis germanico,* † qvod qvidem Moguntinum ab Electoribus
interpellatum, & hoscé rursus ab ipso interrogatos probat, sed
33. qvô ordine id factum, expressè non meminit. † Parile asserti
hujus fulcrum petere licet ex historiâ Maximiliani II. in Regem
Romanorum designati, qvam descripserunt Adamus & Nico-
laus Heydeni fratres, Moguntinum itidem primum dicentem
suffragium inducentes, apud Goldast, *in polit. imper. part. 1. p. 148.*
qvo-

† qvorum relationi eqvidem in omnibus fidem haud vult tribuere indubitatam Dn. Limn. *dict. cap. 3. n. 64.* Sed cur hoc, animadvertere neqveo; cùm seipsos electioni huic interfuisse, eamqve partim vidisse, partim ab aliis exploráſſe, adeoqvè non falsa pro veris venditare, attestentur fratres prædicti *in præfat. histor. de elect. & inaugurat. Maximil. Austrii II. Roman. Regis.* 14.

DOGMA III.

Lege Imperii probibentur Septemviri exterum aliqvem, qvi Germanus non est, in Regem Romanorum eligere.

SAt graviter 1. † votó gravissimó Coëlectores monuit Septemvir Moguntinus, ne Franciscum I. Galliarum Regem ad fasces Imperii evehendo impingerent in Leges, qvibus cautum est, ne decus Imperii transferatur ad exteros, apud Sleidan. *lib. 1. de stat. Relig.* Prodiit hinc dogma Politicorum, Lege Imperii Electores prohiberi exterum aliqvem, qvi Germanus non est, in Regem Romanorum vel Imperatorem eligere; 2. † qvod non saltem hôc Archicancellarii votó probatum, sed & ipsius Caroli Imperatoris, Procerum Hispaniæ & Ambasiatorum gallicorum testimonió ubertim demonstratum dedimus *suprà posit. 23. & 24.* Nec qvemqvam fore arbitramur, qvi non 3. † è re Imperii germanici existimet, gubernationem Germanis potiùs qvàm Principi alterius nationis committi; qvod si in dubium vocaretur, documentis benè multis ac gravissimis firmari posset, qvorum recitatione tamen ipsa nos sublevat experientia rerum omnium magistra, si præsertim ea, qvæ pro hoc argumentó *posit. 29.* adduximus, repetantur. 4. † Multa comprehendit verbis paucissimis Cominæus, inqviens: Etiamsi Princeps aliqvis externus benè rem gerat & commodè gubernet, attamen qvia moribus & ingenió differt, nec eam erga populum repræsentare potest benevolentiam, ac si indigena esset, facilè inde oriuntur dissensionum occasiones, qvo fit, ut posteà pro defensione Principatûs ad se delati suarumqve fortunarum, militem & copias aliunde adducat, eorumqve præsidió se muniat, qvi beneficiis deinde & honoribus singulariter ab eo aucti magnam

 multi-

multitudinis invidiam & odium in se concitant, *lib. 8. comm. in*
5. *fin.* † Non modò hinc Veneti, qvi prudentiæ laudem habent, peregrinis in Reipublicæ administratione omnem præclusam
6. volunt viam, Patrit. *lib. 3. tit. 2. de Republ. instit.* † Sed & aliæ gentes à regimine exterorum penitùs abhorrent, prout suô exemplô Hispani, Helvetii, Sueci, Poloni & Belgæ testatum fecére.
7. † Nec abs ratione qvi omnium legum fons & Legislatorum director habetur, DEUS ter Optimus Maximus alterius gentis hominem, qvi frater Israëlitarum non esset, in Regem ipsorum designare prohibuit, *Deut. cap. 17. vers. 5.* ut proinde nemo non multum periculi subesse crediderit, si qvod in qvovis Imperio
8. summum est, regimen nempe extero deferatur. † At qvænam sit lex illa Imperii prohibitiva, cui observantiam spondet omnium Coëlectorum nomine Suffragator noster, à multis ha-
9. ctenus qvæsitum, nec tamen cognitum iis penitus fuit. † Etsi enim omnem Aureæ Bullæ, qvæ singula qvæqve in electione novi Regis Romanorum observanda exactissimè perseqvitur, contextum excusserimus, omnes periodos ac verba sollicitudine summá qvantumvis ruminaverimus, nullâ tamen, qvâ rei hujus prohibitio satis commodè adstrui poterit, suppeditabitur sylla-
10. bâ. † An ergò Moguntinum Electorem legem aliqvam, nullibi repertam, sibi persuaderi passum existimabimus? Absit: nec præsumendum hoc de Archicancellario Imperii, cui leges Ger-
11. maniæ ignotæ esse non possunt, nec debent. † Dubitationis igitur nubem qvò Politici nostrates discuterent, Legem ejusmodi, ne alius qvàm Germanus in Imperatorem eligatur, ab Otthone I. promulgatam, Aureæ Bullæ tamen haud insertam, autumant, ex Hulder. Mut. *lib. 14. Chronic. germ.* Dom. Arum. *tom. 1.*
12. *discurs. Academ. 6.* Joh. Limn. *lib. 2. jur. publ. cap. 2.* † Sed cùm nec nos, nec alii legem illam viderint vel legerint, vigori suo illã relinqvimus, nil certi interim de lege aliqvâ scriptâ vel promulgatâ affirmantes; qvæ si extitisset ulla, qvid opus fuisset moniti
13. Protestantium: † Ne Romanorum Rex designetur ullus, qvi non sit ex aliqvâ Germaniæ Principum familiâ progenitus, apud Joh. Sleidan. *lib. 8 pag. 213.* Nec tamen fidem Archiepiscopi Moguntini ambiguam reddere præsumimus, qvam satis vindi-
catam

catam putamus, † si dixerimus qvod res est, lege nimirum Aureæ Bullæ, verbis licèt non expressis, tacitè tamen & haud obscurè prohiberi Electores fasces Imperii extero deferre hôc ipsô, qvo juramentô obstringuntur † eligere talem, qvi ad sceptra & gubernationem sit idoneus, *tit. 2. Aureæ Bull.* nec enim communi Politicorum votô extraneus qvisqvam pro tali habetur, ut hinc Moguntinus non abs re & legibus & jurejurando Septemviros ad hoc obstringi dixerit, Sleidan. *dict. lib. 1.* † Cumqvè Imperatorem Electores per Legem Regiam sive Capitulationem obligatum voluerint, ne officia Imperii illustria aliis qvàm germanis committeret, veluti apparet ex tenore legum Carolo V. præscriptarum, *vers. Negotiis publicis præficiat non exteros, verùm Germanos ex Nobilitate delectos*, apud Sleidan. *lib. 1. histor. pag. 29.* qvod idem in subseqventium Impp. Capitulationibus legitur repetitum, apud Goldast. *in polit. imper. pag. 12. sub Anno 1575.* † ad parilem utiqve legem seipsos obstrinxisse videntur. Et qvid multis! sola observantia de peregrino ad fasces Imperii germanici non admittendo, Moguntinum Electorem tuetur, qvo minùs legem falsò allegâsse dicatur, † postqvam observantia apud JCtos instar legis est, ac pro lege habetur, *arg. l. filius emancipatus, 14. ff. ad Leg. Cornel. de falsl. 1. ff. ad SCtum Syllan. l. 3. C. de ed. f. priv.* Octav. Cacher. *consil. 2. n. 10.* Alexand. *lib. 4. consil. 117. n. 10.* † Nihil verò offendat nos, qvòd olim admissi fuerint ad sceptra Imperii Alfonsus Castellæ Rex; Richardus Cornubiæ Dux; & Edovardus Angliæ Rex, omnes exteri : † Turbatô siqvidem Imperii statu id factum, probè observavit Petr. Heig. *part. 1. qvæst. 5. n. 8. & 28.*

14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.

DOGMA IV.

Conditiones sive leges recens electo Romanorum Regi ab Electoribus præscriptæ certissimam præbent notam Majestatis Imperii realis.

Notatu dignissima sunt verba † Electoris Moguntini, qvando certis legibus cum Carolo Austriaco in Regem Romo- 1.

Romanorum deſignando ſuper adminiſtratione Imperii transi-
2. gendum, votô ſuô ſuadet; qvod & poſteà factum, † Imperiumq́;
germanicum non niſi certis conditionibus ac legibus præſcri-
ptis in Imperatorem translatum fuiſſe, docet hiſtoria Sleidani
lib. 1. pag. 28. & 29. Fulcrum hinc petere licet fortiſſimum dogma-
3. tis politici, † qvô vulgò diſtinguunt inter Majeſtatem imperantis
perſonalem, & Imperii realem, tanqvam inter fundamentatum
& fundamentum ipſum, Beſold. *in diſſert. politic. jurid. de majeſt.*
4. *in genere. cap 1. n. 6.* Qvæ qvidem diſtinctio non eſt ad † omnium
indifferenter guſtum, in qvorum partes noviſſimè inclinat Dn.
Godofr. Fibig. anteceſſor qvondam Acâdam. Salan. *in elect. jur.*
5. *publ. ſemidecad. 7. qvæſt. 4.* attamen veriſſima, † niſi & Electori-
bus & Imperio omnem detractam velimus poteſtatem, qvam
nec ipſemet Fibigius expugnatam ivit. Unde enim facultas præ-
ſcribendi leges fundamentales Electoribus conceſſa, ſi non Im-
perio capite ſuô & Imperatore orbatô, ſumma competeret pote-
6. ſtas ſive majeſtas? † qvippe cujus nota procul dubio eſt cer-
tiſſima, moderatio regiminis Imperatorii, legumq́; ac conditio-
num determinatio: Atqvi perſonæ imperanti certæ nullibi ea
7. fuit data; Remanet ergò penes ipſum Imperii corpus. † Et
Imperatore in fata concedente, num majeſtas totius Reipublicæ,
& cum eâ Imperium ipſum in fumum abibit? Neminem, qvi hoc
ſenſerit, vel dixerit, hactenus vidimus: Si verò adhuc ſpirat ac vi-
vit, ubinam latitabit ante novi Regis Romanorum electionem,
8. † niſi in ipsô Imperii corpore & penes cives ac Proceres Reipub.
univerſos, ei qvaſi inhærens; nec enim Majeſtas, ſive realis ſive
perſonalis, qvia poteſtas eſt, non ens rationis, absq́; ſubjectis &
hominibus conſiderari debet. Multis qvidem contra hoc diſputat
9. Dn. Fibig. † ſed ſubtilitatibus ſe ita implicuit, ut tandem ad do-
gma noſtrum redire neceſſum habuerit, lubens illud inexpugna-
10. tum relinqvens, de hoc ſaltem dubius, † an verè dicatur Majeſtas
hæc inniti legibus Imperatori præſcriptis, ſeu Capitulationi Cæ-
11. ſareæ? Etſi autem conceſſerimus, † Majeſtatem realem legibus
fundamentalibus non ut fulcrô ſtabiliri, qvippe qvæ & ipſæ Ma-
jeſtati huic ſubjectæ ſunt, & pro ratione ſtatûs ac temporis
immutari qveunt, probatio tamen Majeſtatis realis in-
nititur

nitur Capitulationi, seu legibus illâ comprehensis. † Et 12
sufficit nobis, firmò ipsam stare talò, qvam & formulæ in Recessibus ac Constitutionibus notissimæ: Vns und dem heiligen Reich: Zu unser und des heiligen Reichs-Stad: Unsern und des heiligen Reichs Vnterthanen/ plenissimè probant, ipsò advertente Dn. Fibigiò *dict. loc.* † Est ergò Majestas realis cujusqve Reipublicæ fundamentum, seu summa potestas Imperio semper ac 13.
perpetuò inhærens eiq; coæva, qvæ per decessum Regis aut Principis non expirat; sed qvamdiu corpus regni durat, & ipsa permanet, ac sub ipsis interregnis & alterationibus gubernationũ persistit, Herm. Kirchner. *de Republ. disp. 2. th. 3.* Velstenius *cent. qvæst. polit. decad. 8. qvæst. 3. in fin.* † cujus intuitu etiam post Legem Regiam populus Romanus aliqvam sibi dicitur retinuisse majestatem, *l. 7. §. pen. ff. de capt. & postlim. reversf. l. 3. vers. lex autem Julia, ff. ad leg. Jul. majest.* Belold. *dict. cap. 1. n. 4.* ex qvo etiam † crimen 14. 15.
Majestatis tàm adversus populum & Rempublicam, qvàm ipsum Principem committitur, *l. 1. §. 1. ff ad Leg. Jul. majest.* Henr. Bocer. *de crim. læs. Majestat. cap. 1. num. 25.* Ad hanc majestatem Imperii realem qvemadmodum Majestas imperantis personalis perpetuò respicit, ita & vicissim ab eâ dependet: † unde majestati ipsius Regni majestas regnantis tanqvam superiori obnoxia est, eiqve obstringitur, ita ut sufficiat in fœderibus, transactionibus & sanctionibus qvandoqve Regni duntaxat majestatem exprimi, Kirchn. *dict loco.* Joh. Bodin. *lib. 1. de Republ. cap. 7.* 16.
† ac verè hinc dixerimus Majestatem Imperii realem illam supremitatem, qvæ superior est majestate personali, Eine überschwebende Hoheit/ qvam voculam tamen aliò exprimit sensu Melch. Goldast. *in Bohem. lib. 2. cap. 10. in fin.* † Et apprimè videtur Joh. Limn. æqviparare Majestatem realem Soli, personalem 17. 18.
verò Lunæ: Ut enim hæc (qvæ semper in se considerata corpus plenum & perfectum est) tunc plena dicitur, qvando longissimè est à Sole separata, & ei ex diametrò opposita: nam tunc plena, hoc est, omninò illustrata nobis apparet; † Ita etiam Majestas personalis in se considerata qvidem semper plena est, sed tunc plena nobis apparet, qvando à Majestate reali longissimè abiit: qvò enim ei proprior est, eò obscurior & luce minor. Propior autem tunc 19.

M &

varum & Carolum Ludovicũ Palatinum, qvorum ille Electoratu
51. discedere erubescebat, hic verò eum recuperare studebat: † Ex qvô litigiô eum vel de pace stabiliendâ desperandum, vel ruina Imperii germanici pertimescenda erat, remediô hôc exorbitante & augmentô numeri Electorum septenarii malum illud averruncare Ratio status Principes coëgit, non absq; momento rationis sufficientissimo, prægnantissimo.
52. † Eaq; sat virium habet removendi obices, si qvâ alii vel ex ablatione ditionum, vel commutatione Episcopatuum bonorumq; ecclesiasticorum in Ducatus ac Principatus, restitutioni pacis opponantur;
53. † Salus enim Reipublicæ, qvæ lex est principalior, leges etiam fundamentales attemperare permittit, Sveton. *in August. cap. ult.* Albert. Crantz. *lib. 3. Saxon. cap. 13.* Id tamen scrupuli remanebit forsan, qvòd legibus fundamentalibus ceu fulcro firmissimo innitatur moles Imperii, † qvô sublatô, salus Imperii & totum Imperium qvomodo non evertetur? veluti infert Nicol. Cusan. *de concord. cathol. lib. 1. cap. 2. n. 29. & seq.* Machiavell. *p. 1. theor. 1.* Scrupulum hoc omninò facesseret, si universas Imperii leges simul ac uno ictu, & qvidem ullô rationis momentô haud urgente, funditus everti concederemus:
54. † Sed cùm de unius vel alterius solummodò legis fundamentalis suspensione ac dispensatione certô modô pro ratione status qualificatâ heîc sit negotium, nil inde nobis metuendum erit, cùm ex parili etiam status ratione aliæ atqve aliæ leges fundamentales qveant promulgari, Casp. Ens *in libell. de elect. & inaug. Regis Romani. cap. 1.*
55. † Qvin & verè dixerimus, nec dispensari nec adimi qvidqvam autoritatis legibus fundamentalibus, si ratio status aliud exposcat, legibus neqvaqvam subjecta, qvarum ea est conditio, ut nec ulteriùs jubeant, nec li-
56. gent, qvàm rebus sic stantibus, † qvod discere licet in scholâ JCtorum, *l. cum qvis. 38. ff. de solut. l. qværo 54. §. inter locatorem 1. ff. locat. qvod Servius 8. ff. de condict. caus. dat. ubi* Jason *num. 18.* Octav. Cacheran. *decis. 9. num. 2.* Andr. Tiraqvell. *in l. si unqvam. in præfat. num. 130. & 167. C. de revocand. donat.*

DO-

DOGMA II.

Ambigua non erit electio Regis Romanorum, si Moguntinus Septemvir primum exposuerit votum contra præscriptum Aureæ Bullæ: qvod & fecit in electione Caroli V.

EX dogmate præcedenti pullulat aliud, æqvè à Lege fundamentali propter rationem statûs exorbitans, si forsan contingat in electione novi Imperatoris. Coelectores à Moguntino primum exqvirere votum: Contra sanctionem 1.
Bullæ Aureæ id fieri, † inficias haud ibit, qvi verba Caroli IV. dubia reddere nolit per se indubia, *in tit. 4. §.* ferner so oft. *circa fin. vers.* † Derer aller Churfürsten Stimm in itzgemelter Ordnung der ehegenandte Bischoff von Maynts erkundigen/und wann solches geschehen/sollen die gemelten seine Mit-Churfürsten/Hertzogen von ihme begehren/daß auch er sein Gemüth und Meinung erclähre/ und ihnen seine Stimme offenbahre. ubi Arum. *in discurs. 3. conclus. 14.* Irrita † num ergò & contra legem fundamentalem erit electio, si Moguntinus ultimò suffragium dicere jussus, primùm dixerit? Posterius ex verbis Caroli IV. modò adductis expeditum: † At prius non largimur, sed qvid statûs ratio suaserit, attendi volumus, qvæ actum electionis à præscripto legis deflectentem sustinere valet, *Dogmat. preced.* Non enim simpliciter annuimus Dom. Arum. posterioribus temporibus Legem Carolinam haud observatam fuisse, *dict. conclus. 14.* sed pro ratione statûs Electores ab illâ deviâsse, ultrò concedimus; † putà si reliqvi à Moguntino Præsule prudentiori majoriqvi experientiâ, qvâ Archicancellarius in Germaniâ creditur præ aliis pollere, edoctô, qvid è re Imperii, percipere & expiscari avidè expetierint: Urgens profectò causa, unde nullum rationis monstrum pro statûs ratione venditandum. † Qvæ nec à more inferiorum Collegiorum prorsus aliena, in qvibus Decanum primùm loqvi videmus, Marc. *decis. 1365. n. 12. p. 1.* cui etiam ccu digniori primum tribuit suffragium

L Præ-

Præposit. *in can. episcopos. distinct.17.* Chaffani *in catal. glor. mund.*
8. *p. 1. consid. 19.* † licèt alibi à junioribus, vel qvi ultimum occupant locum, & sic deinceps ordine successivò explorari soleant sententiæ & colligi suffragia, prout de more Theologorum Universitatis Parisiensis in suis deliberationibus tradit Nicol. Lyra
9. *in Exod. cap. 23. in gloss. verbo: nec judicio.* † ac de Rotâ Romanâ Chassan, *cit. loc.* nec non de Senatu Neapolitano Matth. de Afflict. *decis. Neapol. 1. n. 7.* Prudentissimè sanè, ne primi cæteris dicendi libertatem subtrahant, vel autoritate, non judicio in partes suas traducant, ut loqvitur Tacit. *lib. 1. annal.* nec junioribus pudori sit, Decano & Senioribus contradicere, Langlæus *lib. 7. semest.*
10. *cap. 7.* † Cujus tamen moris observandi necessitate Decanus vel Præses nunqvàm adeò obstrictus videtur Fabro, qvin pro arbitrio, qvem primùm velit, rogare qveat, licèt incipere aliàs consveverit vel ab inferiori vel relatore, qvò nempe diligentiores attentioresq; ad facti jurisq; investigationem singuli reddantur Se-
11. natores, † verentes, ne si primo locô & ante relatorem interrogarentur, obmutescerent, qvod iis accidere neqvit, qvi post relatorem aliumvé Senatorem interrogantur, qvibus scilicet liberùm est votum sic dicere, ut in ejus, qvi prior dixit, sententiam eant, tametsi, justanè an injusta illa sit, priùs apud se non delibe-
12. raverint, Anton. Fab. *in Codic. lib. 1. tit. 7. defin. 4. n. 2.* † Ita nimirum & Collegia & Præsides variare solent, ut nemini mirùm videri debeat, contra morem & legem etiam primorum ac seniorum vota ab initio illicò percipere ac notare, haud sine ra-
13. tione æqvè ponderosâ, † ne experientiam Seniorum præveniat pluralitas votorum, in junioribus nondum benè informatis collectorum, sed habeant hi, qvod discant & qvod seqvantur. Hoc si in Dicasteriis & Collegiis inferioribus nemo facilè impro-
14. baverit, † qvidni in Collegio Electorali, qvo de electione novi Romanorum Regis, causâ omnium difficillimâ agitur, idem tolerandum qvis existimaverit, si nempe ratio status id efflagitet. Qvantumvis ergò Carolo IV. Aureæ Bullæ autori de observantiâ anteriori, qvâ primus dixerit votum Treviricus, attestanti fidem habeamus maximam, *dict. tit. 4. verb.* und daß die ih-
15. me bißhero also gebüret/ befunden haben. † attamen & fide sua

suâ constat historia Guntheri, Moguntinum in electione Friderici I. Imperatoris primas dicendi partes sustinentem inducens, *in Ligur. l. b. 1.* † Qvod & ipsius Friderici I. testimoniô firmatur apud Radevicum Frisingensem *lib. 3. cap. 16.* & Schafnaburgensem *in annalib. Anno 1073.* veluti qvoq; † in electione Henrici V. primarium fuisse Moguntinum Electorem, refert Johan. Cuspinian. *in vitâ ejusdem*, qvod & factum in electione Friderici II. idem Cuspinian. *in vitâ illius*, nec non in electione Richardi, Krantz. *lib. 8. Saxon. cap. 21.* † Scilicet non ita præcisè inhærendum Septemviri duxerunt sanctioni Aureæ Bullæ, qvin ratione status id exigente ordo votandi præscriptus inverti potuisset, † ut hinc veniam mereatur Peucerus qvi qvo numero, qvibus legibus, qvove ordine in electione sententiæ dictæ & lata fuerint suffragia, certò asserere non præsumit, in Otthone III. *lib. 4. Chronic.* Nec est qvòd rei hujus exempla altiùs repetamus, † cùm & in electione Caroli V. votum dixerit Moguntinus I. referente ex Sleidan. *de stat. relig. lib. 1. p. 20.* Dom Arum. *dict. conclus. 14.* † Qvem tamen relationem Sleidani fefellisse autumat Joh. Limn. *de jur. publ. lib. 2. cap. 3. n. 60. & seqq.* Probat nimirum ille ex Georgio Sabino, relationem istam Sleidani accipiendam esse de deliberatione potiùs suffragationi præmissâ, qvàm de ipso suffragio: † ne alioqvin & in Friderico Saxone ordinem suffragandi mutatum asserere necessum habeamus; postqvam is tertio locô post Treviricum statim verba fecisse dicatur à Sleidan. *dict. loc. p. 25.* qvod idem refert Georg. Sabin. *de elect. Caroli V.* † atqve ita Moguntinum, ceu Collegii Electoralis Decanum consultationem duntaxat de instanti electionis actu cœpisse, & de qvibus subjectis in Regem Romanorum designandis deliberandum foret, Coëlectoribus intimâsse, actu electionis ipsô juxta præscriptum Aureæ Bullæ postea suscepto, & ordine votandi probè observatô, putat Limn. *loc. allegat.* † qvod in primis firmare nititur ex *Protocollo electionis Caroli V. tit. 31* apud Goldast. *in polit. Germ.* qvod hæc suppeditat verba: Und wir Albrecht *Cardinal* als Ertzbischoff zu Meyntz/ &c. der andern unserer Mit-Churfürsten und geschickten Bottschafften Stimm und *Vota* nach Ordnung und Gesetz darüber gemacht/ und jeden sonderlich

Margin numbers: 16. (line 3), 17. (line 5), 18. (line 10), 19. (line 13), 20. (line 16), 21. (line 19), 22. (line 23), 23. (line 26), 24. (line 31)

25. lich gefraget und erforschet. Und wir &c. hinwiederum &c. † Ita qvidem Arumæum à Sleidano falsum, differit Limnæus, Sed vereor, ne ipse asserto suô speciosè satis proposito me fefellerit, ut ei assentitus fuerim *in Comment. de Leg. Reg. german. cap. 11. sect. 8.*
26. *n. 9.* rectiùs postea edoctus à Georg. Sabino. † Concesserim enim, deliberationem ante solennem electionis actum fuisse susceptam, in qvâ Moguntinus mentem suam, & cui postea in actu solenni suffragium daturus, satis exposuerit, qvem ordine secutus Trevirensis: & hunc Fridericus Saxo, prout ex totô histo-
27. riæ Sleidan. & Sabini contextu satis perspicuum est, † imprimis verò ex præloqvio Moguntini, qvi consultationem hiscé ingressus verbis apud Sabin. *Et qvoniam hic congressus institutus est, non ut suffragia feramus, sed ut liberè colloqvamur cùm de universâ Republicâ, tùm de electione: dicam, qvid mihi maximè videatur è*
28. *Republicâ esse, &c.* † Attamen & postea cùm alius dies in suffragium solenni more eundi constitutus fuerat, Moguntinum primitùs locutum, ac votum priùs repetiisse, verbis restatur
29. manifestissimis idem Georg. Sabin. † *Itaq. rursus*, ait, *Sacrô publicè factô, Electores ingressi in Sacrarium interius templi divi Bartholomæi suffragia ferunt hôc ordine: Cœtus Electorum reliqvus interrogat Moguntinum, qvem eligat Regem Romanum & futurum Imperatorem? Is respondet, se eligere Carolum Archiducem Austriæ. Deinde & Moguntinus reliqvos interrogat. Hôc modo omnium con-*
30. *sentientibus suffragiis Carolus electus est Imperator, &c.* † Qvid clariùs dicere potuisset Sabinus, qvàm qvòd primum in actu electionis solenni elocutus sit Septemvir Moguntinus suffragium.
31. Huic ergò qvia Dn. Limn. plenissimam attribuit fidem; † ab ipsô utiqve convictus erit, se abs re Arumæum erroris arguisse, præsidii parum sibi promittens *ex Protocollo hujus electio-*
32. *nis germanico,* † qvod qvidem Moguntinum ab Electoribus interpellatum, & hoscé rursus ab ipso interrogatos probat, sed
33. qvô ordine id factum, expressè non meminit. † Parile asserti hujus fulcrum petere licet ex historiâ Maximiliani II. in Regem Romanorum designati, qvam descripserunt Adamus & Nicolaus Heydeni fratres, Moguntinum itidem primum dicentem suffragium inducentes, apud Goldast, *in polit. imper. part. 1. p. 148.*

qvo-

† qvorum relationi eqvidem in omnibus fidem haud vulti tribuere indubitatam Dn. Limn. *dict. cap. 3. n. 64.* Sed cur hoc, animadvertere neqveo; cùm seipsos electioni huic interfuisse, eamqve partim vidisse, partim ab aliis exploràsse, adeoqve non falsa pro veris venditare, attestentur fratres prædicti *in præfat. histor. de elect. & inaugurat. Maximil. Austrii II. Roman. Regis.* 14.

DOGMA III.

Lege Imperii probibentur Septemviri exterum aliqvem, qvi Germanus non est, in Regem Romanorum eligere.

SAt graviter † votô gravissimô Coëlectores monuit Septemvir Moguntinus, ne Franciscum I. Galliarum Regem ad fasces Imperii evehendo impingerent in Leges, qvibus cautum est, ne decus Imperii transferatur ad exteros, apud Sleidan. *lib. 1. de stat. Relig.* Prodiit hinc dogma Politicorum, Lege Imperii Electores prohiberi exterum aliqvem, qvi Germanus non est, in Regem Romanorum vel Imperatorem eligere; † qvod non saltem hôc Archicancellarii votô probatum, sed & ipsius Caroli Imperatoris, Procerum Hispaniæ & Ambasiatorum gallicorum testimoniô ubertim demonstratum dedimus *suprà posit. 23. & 24.* Nec qvemqvam fore arbitramur, qvi non † è re Imperii germanici existimet, gubernationem Germanis potiùs qvàm Principi alterius nationis committi; qvodsi in dubium vocaretur, documentis benè multis ac gravissimis firmari posset, qvorum recitatione tamen ipsa nos sublevat experientia rerum omnium magistra, si præsertim ea, qvæ pro hoc argumentô *posit. 27.* adduximus, repetantur. † Multa comprehendit verbis paucissimis Cominæus, inqviens: Etiamsi Princeps aliqvis externus benè rem gerat & commodè gubernet, attamen qvia moribus & ingeniô differt, nec eam erga populum repræsentare potest benevolentiam, ac si indigena esset, facilè inde oriuntur dissensionum occasiones, qvo fit, ut posteà pro defensione Principatûs ad se delati suarumqve fortunarum, militem & copias aliunde adducat, eorumqve præsidiô se muniat, qvi beneficiis deinde & honoribus singulariter ab eo aucti magnam multi-

1.
2.
3.
4.

multitudinis invidiam & odium in se concitant, *lib. 8. comm. in*
5. *fin.* † Non modò hinc Veneti, qvi prudentiæ laudem habent, peregrinis in Reipublicæ administratione omnem præclusam
6. volunt viam, Patrit. *lib. 3. tit. 2. de Republ. instit.* † Sed & aliæ gentes à regimine exterorum penitùs abhorrent, prout suô exemplô Hispani, Helvetii, Sueci, Poloni & Belgæ testatum fecére.
7. † Nec abs ratione qvi omnium legum fons & Legislatorum director habetur, DEUS ter Optimus Maximus alterius gentis hominem, qvi frater Israëlitarum non esset, in Regem ipsorum designare prohibuit, *Deut. cap. 17. vers. 5.* ut proinde nemo non multum periculi subesse crediderit, si qvod in qvovis Imperio
8. summum est, regimen nempe extero deferatur. † At qvænam sit lex illa Imperii prohibitiva, cui observantiam spondet omnium Coëlectorum nomine Suffragator noster, à multis ha-
9. ctenus qvæsitum, nec tamen cognitum iis penitùs fuit. † Etsi enim omnem Aureæ Bullæ, qvæ singula qvæqve in electione novi Regis Romanorum observanda exactissimè perseqvitur, contextum excusserimus, omnes periodos ac verba sollicitudine summâ qvantumvis ruminaverimus, nullâ tamen, qvâ rei hujus prohibitio satis commodè adstrui poterit, suppeditabitur sylla-
10. bâ. † An ergò Moguntinum Electorem legem aliqvam, nullibi repertam, sibi persuaderi passum existimabimus? Absit: nec præsumendum hoc de Archicancellario Imperii, cui leges Ger-
11. maniæ ignotæ esse non possunt, nec debent. † Dubitationis igitur nubem qvò Politici nostrates discuterent, Legem ejusmodi, ne alius qvàm Germanus in Imperatorem eligatur, ab Otthone I. promulgatam, Aureæ Bullæ tamen haud insertam, autumant, ex Hulder. Mut. *lib. 14. Chronic. germ.* Dom. Arum. *tom. 1.*
12. *discurs. Academ. 6.* Joh. Limn. *lib. 2. jur. publ. cap. 2.* † Sed cùm nec nos, nec alii legem illam viderint vel legerint, vigori suo illā relinqvimus, nil certi interim de lege aliqvâ scriptâ vel promulgatâ affirmantes; qvæ si extitisset ulla, qvid opus fuisset moniti
13. Protestantium: † Ne Romanorum Rex designetur ullus, qvi non sit ex aliqvâ Germaniæ Principum familiâ progenitus, apud Joh. Sleidan. *lib. 8 pag. 223.* Nec tamen fidem Archiepiscopi Moguntini ambiguam reddere præsumimus, qvam satis vindi-

catam

catam putamus, † si dixerimus qvod res est, lege nimirum Aureæ Bullæ, verbis licèt non expressis, tacitè tamen & haud obscurè prohiberi Electores fasces Imperii extero deferre hôc ipsô, qvo juramentô obstringuntur † eligere talem, qvi ad sceptra & gubernationem sit idoneus, *tit. 2. Aureæ Bull.* nec enim communi Politicorum votô extraneus qvisqvam pro tali habetur, ut hinc Moguntinus non abs re & legibus & jurejurando Septemviros ad hoc obstringi dixerit, Sleidan. *dict. lib. 1.* † Cumqvè Imperatorem Electores per Legem Regiam sive Capitulationem obligatum voluerint, ne officia Imperii illustria aliis qvàm germanis committeret, veluti apparet ex tenore legum Carolo V. præscriptarum, *vers. Negotiis publicis præficiat non exteros, verùm Germanos ex Nobilitate delectos*, apud Sleidan. *lib. 1. histor. pag. 29.* qvod idem in subseqventium Impp. Capitulationibus legitur repetitum, apud Goldast. *in polit. imper. pag. 12. sub Anno 1575.* † ad parilem utiqve legem seipsos obstrinxisse videntur. Et qvid multis! sola observantia de peregrino ad fasces Imperii germanici non admittendo, Moguntinum Electorem tuetur, qvo minùs legem falsò allegâsse dicatur, † postqvam observantia apud JCtos instar legis est, ac pro lege habetur, *arg. l. filius emancipatus. 14. ff. ad Leg. Cornel. de fals. l. 1. ff. ad SCtum Syllan. l. 3. C. de ed. f. priv.* Octav. Cacher. *consil. 2. n. 10.* Alexand. *lib. 4. consil. 117. n. 10.* † Nihil verò offendat nos, qvòd olim admissi fuerint ad sceptra Imperii Alfonsus Castellæ Rex; Richardus Cornubiæ Dux; & Edovardus Angliæ Rex, omnes exteri: † Turbatô siqvidem Imperii statu id factum, probè observavit Petr. Heig. *part. 1. qvæst. 5. n. 8. & 28.*

14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

DOGMA IV.

Conditiones sive leges recens electo Romanorum Regi ab Electoribus præscriptæ certissimam præbent notam Majestatis Imperii realis.

NOtatu dignissima sunt verba † Electoris Moguntini, 1.
qvando certis legibus cum Carolo Austriaco in Regem
Romo-

Romanorum designando super administratione Imperii transi-
2. gendum, votô suô suadet; qvod & posteà factum, † Imperiumq; germanicum non nisi certis conditionibus ac legibus præscriptis in Imperatorem translatum fuisse, docet historia Sleidani *lib. 1. pag. 28. & 29.* Fulcrum hinc petere licet fortissimum dogma-
3. tis politici, † qvô vulgò distinguunt inter Majestatem imperantis personalem, & Imperii realem, tanqvam inter fundamentatum & fundamentum ipsum, Besold. *in differt. politic. jurid. de majest.*
4. *in genere. cap 1. n. 6.* Qvæ qvidem distinctio non est ad † omnium indifferenter gustum, in qvorum partes novissimè inclinat Dn. Godofr. Fibig. antecessor qvondam Acadam. Salan. *in elect. jur.*
5. *publ. semidecad. 7. qvæst. 4.* attamen verissima, † nisi & Electoribus & Imperio omnem detractam velimus potestatem, qvam nec ipsemet Fibigius expugnatam ivit. Unde enim facultas præscribendi leges fundamentales Electoribus concessa, si non Imperio capite suô & Imperatore orbatô, summa competeret pote-
6. stas sive majestas? † qvippe cujus nota procul dubio est certissima, moderatio regiminis Imperatorii, legumq; ac conditionum determinatio: Atqvi personæ imperanti certæ nullibi ea
7. fuit data; Remanet ergò penes ipsum Imperii corpus. † Et Imperatore in fata concedente, num majestas totius Reipublicæ, & cum eâ Imperium ipsum in fumum abibit? Neminem, qvi hoc senserit, vel dixerit, hactenus vidimus: Si verò adhuc spirat ac vivit, ubinam latitabit ante novi Regis Romanorum electionem,
8. † nisi in ipsô Imperii corpore & penes cives ac Proceres Reipub. universos, ei qvasi inhærens; nec enim Majestas, sive realis sive personalis, qvia potestas est, non ens rationis, absq; subjectis & hominibus considerari debet. Multis qvidem contra hoc disputat
9. Dn. Fibig. † sed subtilitatibus se ita implicuit, ut tandem ad dogma nostrum redire necessum habuerit, lubens illud inexpugna-
10. tum relinqvens, de hoc saltem dubius, † an verè dicatur Majestas hæc inniti legibus Imperatori præscriptis, seu Capitulationi Cæ-
11. sareæ? Etsi autem concesserimus, † Majestatem realem legibus fundamentalibus non ut fulcrô stabiliri, qvippe qvæ & ipsæ Majestati huic subjectæ sunt, & pro ratione statûs ac temporis immutari qveunt, probatio tamen Majestatis realis in-

nititur

nititur Capitulationi, seu legibus illâ comprehensis. † Et 12.
sufficit nobis, firmô ipsam stare talô, qvam & formulæ in Recessibus ac Constitutionibus notissimæ: Vns vnd dem heiligen Reich: Zu unser und des heiligen Reichs-Stad: Unsern und des heiligen Reichs Vnterthanen/ plenissimè probant, ipsô advertente Dn.
Fibigiô *dict. loc.* † Est ergò Majestas realis cujusqve Rei- 13.
publicæ fundamentum, seu summa potestas Imperio semper ac perpetuò inhærens eiq; coæva, qvæ per decessum Regis aut Principis non expirat; sed qvamdiu corpus regni durat, & ipsa permanet, ac sub ipsis interregnis & alterationibus gubernationũ persistit, Herm. Kirchner. *de Republ. disp. 2. th. 3.* Velstenius *cent. qvæst. polit. decad. 8. qvæst. 3. in fin.* † cujus intuitu etiam post Legem 14.
Regiam populus Romanus aliqvam sibi dicitur retinuisse majestatem, *l. 7. §. pen. ff. de capt. & postlim. reversl. 3. vers. lex autem Julia. ff. ad leg. Jul. majest.* Besold. *dict. cap. 1. n. 4.* ex qvo etiam † crimen 15.
Majestatis tàm adversus populum & Rempublicam, qvàm ipsum Principem committitur, *l. 1. §. 1. ff ad Leg. Jul. majest.* Henr. Bocer. *de crim. læs. Majestat. cap. 1. num. 25.* Ad hanc majestatem Imperii realem qvemadmodum Majestas imperantis personalis perpetuò respicit, ita & vicissim ab eâ dependet: † unde maje- 16.
stati ipsius Regni majestas regnantis tanqvam superiori obnoxia est, eiqve obstringitur, ita ut sufficiat in fœderibus, transactionibus & sanctionibus qvandoqve Regni duntaxat majestatem exprimi, Kirchn. *dict loco.* Joh. Bodin. *lib. 1. de Republ. cap. 7.*
† ac verè hinc dixerimus Majestatem Imperii realem illam 17.
supremitatem, qvæ superior est majestate personali, Eine überschwebende Hoheit/ qvam voculam tamen aliô exprimit sensu Melch. Goldast. *in Bohem. lib. 2. cap. 10. in fin.* † Et apprimè videtur Joh. Limn. æqviparare Majestatem realem Soli, personalem 18.
verò Lunæ: Ut enim hæc (qvæ semper in se considerata corpus plenum & perfectum est) tunc plena dicitur, qvando longissimè est à Sole separata, & ei ex diametrô opposita: nam tunc plena, hoc est, omninò illustrata nobis apparet; † Ita etiam Majestas perso- 19.
nalis in se considerata qvidem semper plena est, sed tunc plena nobis apparet, qvando à Majestate reali longissimè abiit: qvò enim ei proprior est, eò obscurior & luce minor. Propior autem tunc

M &

& obſcurior eſt, qvando anguſtis concluſa cancellis & legibus fundamentalibus alligata ita continetur, ne longiùs à ſuo Sole recedere qveat, ita Limn. *inſcriptô apologet. contra Wilhelm. Witzendorffen Theol. Licent. Superintendent. & Canon. Bardowicenſem.*
20. *ſect. 8. num. 11.* Qvo ſatis demonſtrat, † Imperantes in ſtatu aliqvo ſive monarchicô, ariſtocraticô, ſive democraticô majeſtatem ac poteſtatem ſuam non niſi à jure majeſtatico reali nanciſci. Qvid ergò, dixeris, qvòd non omnes Imperii cives ac Proceres ſive Status, ſed ſoli Electores ſceptra tradant Imperatori, eiqve
21. leges regiminis præſcribant? † Anſam hic arripit Hippolyt. à Lapide *de rat. ſtat. part. 1. cap. 15.* contra Electores inſurgendi, nimiæq; ipſos arrogantiæ incuſandi, qvòd non minimam & injuriam & jacturam intulerint reliqvis Imperii Statibus totiqve Im-
22. perio, ſibi ſolis hanc poteſtatem ſumentes, † cùm tamen electionem Bullâ Carolinâ ſibi conceſſam ad præſcriptionem Legum fundamentalium haud extendere debuiſſent, nec propterea frivolè à Principibus qvibusdam qvæſtionem præſumit motam: Ob die Churfürſten bemächtiget / *inconſultis reliqvis Imperii Statibus Cæſari* eine neue *Capitulation* vorzuſchreiben / weil die alte *Compactata cum conſilio Statuum* auffgerichtet? apud Lundorp. *tom. 2. actor.*
23. *publ. lib. 3. tract. 2. pag. 639.* † Sed vereor, ne Hippol. à Lapide de injuria Statibus Imperii illatâ conqverens, ipſemet Electoribus inferat injuriam haud minimam, cùm nondum demonſtraverit, conſilio reliqvorum Statuum Capitulationem fuiſſe confectam & Imperatori præſcriptam, id enim haud factum ex primævâ ejus
24. origine, ſatis expeditum eſt, † qvippe qvæ tempore Conradi I. nata indies increvit, usqve dum in eam, qvæ hodie in uſu eſt, amplitudinem evaſerit, de qvo dixi *in Comm. ad Leg. Germ. cap. 1.*
25. *ſect. 9.* † Nec unqvam probatum dabit, Capitulationem, qvam jam ante centum annos & qvod ſuperat, Carolo V. præſcriptam exhibet Goldaſt. *part. 2. rer. imper. germ. ſub Anno 1519. & 1520.* penitus fuiſſe correctam & immutatam, licèt Septemviri Sereniſſimi pro ratione ſtatûs alias atqve alias qvandoqve addiderint le-
26. ges & conditiones, † qvod jure ſuo fecerunt à reliqvis Imperii Statibus univerſis in Aur. Bull. ad hoc deputati, ut Imperatore defunctô alium eligant idoneum, eiq; deferant ſceptra pro Imperii ſalu-

salute, qvod cùm absqve conditionum præscriptarum declaratione fieri neqveat, & hæc ipsis indulta est potestas, † ne contra sanctionem Bullæ saluberrimam, nec absqve ingenti Reipublicæ periculo omnes Imperii Status ad electionem novi Regis Romanorum convocare, & universalia cogere Comitia necesse habeant. 27.
† Et qvid tandem causæ haberent reliqvi Proceres ac Status Imperii de ullâ injuriâ conqverendi, cùm ipsimet per Electores leges recens electo Imperatori præscribere videantur? Horum siqvidem & Imperii nomine actus electionis totus à Septemviris Serenissimis peragitur, ipsômet fatente Hippol. à Lapid. *citat. loco.* 28.

DOGMA V.

Autoritate non minimâ, qvin & Majestate splendent Septemviri ac Proceres in Imperio universi.

NOn potest non hinc † splendor & autoritas Septemvirûm Serenissimorum omnibus innotescere, qvi leges Imperatori præscribentes non modò majestatem realem & sibi & toti Imperio relictam attestantur: sed etiam potestatem Cæsaris certis conditionibus temperantes, portionem aliqvam majestatis personalis sibi reservant, 1.
† de qvâ & Ordines ac Status Imperii participant universi: eamqve libertatis nomine indigitatam voluit in votô suô Coelectoribus expositô Archiepiscopus Moguntinus, multùm de ejus conservatione solicitus: 2.
† *Illis namqve*, inqvit, *regionibus à Francisco Gallicarum Rege oppressis, an incolumem diu nobis libertatem nostram fore putatis?* Et rursus: *Neqve communem patriam aliqvâ volet opprimi servitute, & de non transferendo Imperio, vel imminuendo jure ac libertate nostrâ fidem nobis dabit per jusjurandum*, Sleidan. *dict. lib. 1. pag. 20. & 22.* 3.
† à qvo nè latum ungvem recessit Saxoniæ Dux Fridericus: *Placere sibi*, in conclavi Electorali attestatus, *ut Carolus Austriacus renuncietur Cæsar, veruntamen certis legibus, ut & Germania sua libertas constet*, Sleidan. *ibid. pag. 25. in fin.* 4.
† Vera libertas, qvæ in ipsam evadit Majestatem, qvam si qvis exactiùs 5.

M 2 nôsse

nosse cupiat, altâ discutiat mente leges in Capitulatione Imperatori præscriptas, ex qvibus de limitatâ ac Ordinibus Imperii re-
6. servatâ potestate satis informabitur: Non etenim fas est † Cæsari, sine Statuum Imperii vel saltem Electorum consensu ac voluntate de rebus Imperii cum exteris Principibus fœdus inire: nec non Proceribus Imperii inconsultis intra vel extra Imperii fines bellum suscipere: non vectigalia indicere, nec leges ferre universales, & qvæ sunt alia Capitulationis membra apud Sleidan. *dict. loco pag. 30,* Thuan *libr. 2. histor. fol. 27.* Joach.
7. Cluten *in syllog. rer. qvotidian. conclus. 21.* † Participant hinc ergò Status ac Principes Imperii de summâ Imperatoris potestate, adeoqve & de ipsâ Majestate, qvæ verè ac propriè accepta nihil aliud est, qvàm summa & perpetua potestas, Clem. Timpler. *libr. 3. polit. cap. 1. qvæst. 1.* Bodin. *libr. 1. de Republ. cap. 8.* Henr. Velsten. *decad. 8. qvæst. polit. 8.* Dan. Otto *de majest. Imper.*
8. *cap 2.* † Non modò igitur in suis territorijs ac Principatibus Ordines ac Proceres Imperii potestate ingenti splendent, jura territorialia exercentes, qvorum intuitu vices Imperatoris sustinere, ejusqve personam repræsentare censentur, Andr. Knichen *in priv. Elect. Saxon. de non provocand. verb. Ducum Saxon.*
9. *cap. 1.* Bornit. *de majestat. cap. 14.* † Sed & in totius Imperii administratione potestatem statuendi cum Imperatore, adeoqve jus sessuræ ac dicendæ sententiæ tanqvam Optimates Reipublicæ in comitiis Imperii habent, majestatemqve exercent, Matth. Stephan.
10. *de jurisdict. lib. 2. p. 1. cap. 7. n. 1.* † idqve vi legum fundamentalium ac potestatis, non nisi certis conditionibus in Imperatorem translatæ: qvi enim habenas Reipublicæ non nisi conditionaliter transferunt, eam illi non ita transferre censentur, ut omni se imperiô exuant, & qvicqvid potestatis habent, in alium transfunde-
11. re velint; † Sed (qvæ natura conditionis est) sibi qvoqs partem imperii retinent, imprimis si qvæ ex conditionibus adjectis impleta haud fuerit, Illustr. Dux Saxon. *in orat. de german. Leg. Reg. habitâ in Academ. Salanâ.* apud Goldast. *in polit. imper.*
12. *part. 12. pag. 615.* † Exercitium hujus majestatis si qvis exactiùs nôsse cupiat, adeat Comitia, & qvi negotia Imperii gerantur ibidem, perpendat: Experietur sanè, omnia ibi non
solius

solius Cæsaris nomine ac nutu, sed universorum Imperii Statuum consensu & autoritate peragi & concludi, qvæ unqvam in Comitiis tractantur & deciduntur : † Eôqve modô ac mediô & 13.
potestatem & majestatem unà cum Imperatore Status & Ordines exercent, vel solâ clausulâ de utriusqve partis consensu ac conventione conceptâ, ac singulis qvibuscunqve Recessibus Imperii annexâ docente, Bernh. Bertram *de Comit. th. ult.* Tob. Paurmeist. *de jurisdict. Imper. Roman. lib. 1. cap. 4. n. 39. & seqq.* † Qvô & respicit 14
illud Trajan. Boccalin. *in thesauro polit. lib. 2. discurs. 1.* Und hat der Römische Keyser in Teutschland kein *absolutum imperium*, sondern regieret solches mehren theils durch die Reichstäge / Christ. Besold. *de jurisdict. Imper. Roman. quæst. 10. & polit. lib. 1. cap. 8.*
Hæcce est libertas † Principum Imperii, de qvô Moguntinus in 15.
votô suô gloriatur; excellens sanè, ac forsan excellentior, si qvid specialiter in causis contra Principes Germaniæ susceptis, eorumqve vitam, famam ac bona concernentibus, observandum advertamus ; † nec enim alibi illæ, nec coram solo Imperatore, sed 16.
aliis Principibus Germaniæ adsidentibus ventilari ac decidi debent, qvod judicium das Fürsten-Recht appellitari consvevit,
† de qvo videre est sententiam Imperatoris Sigismundi *de Anno 1517. Constantiæ latam* apud Londorp. *tom 2. actor publicor. lib. 1. tract. 2. pag. 12.* ejusqve vestigia historici nobis passim reliqverunt, 17.
† veluti hinc in legibus pacis inter Henricum IV. & Saxones 18.
sancitum, ut Imperator Duci Othoni Ducatum Bajoariæ reposcenti, intra anni spacium juxta Principum jurisdictionem satisfaceret, Monach. Herveld. *in chron. hist. germ. sub anno 1073.* † Et 19.
cùm Henricus Leo vitricum suum Bavariæ Ducem in jus traxerat, litem inter eos consiliô Principum compositam, meminit Aventin. *lib 6. annal Bojar.* Pariliqve modô in Curiâ Goslariæ celebratâ † Henrico Saxoniæ Duci, judicio Principum Ducatum 20.
Bajoariæ adjudicatum, scribit Ottho Frisingensis *lib. 2. de gestis Frider. I. cap. 10.* Et Carolus IV, *Anno 1353.* Spiræ assidentibus Electoribus, Moguntinô, Coloniensi & Palatinô judicium exercuisse fertur, cujus sententiam exhibet Autor informat. Donawerd. *part. 1. inter documenta, n. 13.* † Idem controversiam inter Pala- 21.
tinum ac Bavarum de Electoratûs dignitate in Comitiis ac plenô

Electorum consessu examinavit ac decidit, apud Freher. *de legit. tut. curâqve Palatini.* ejusdemqve mentionem faciunt passim Historici, licèt hodie id apud multos oblivione sepultum.

DOGMA VI.

Fallunt Politici, qvi statum Imperii germanici modernum persvasum sibi habent purè Monarchicum.

1. ULteriùs si progrediamur, in aliud incidimus dogma politicum, à Moguntino Electore æqvè enunciatum de statu Imperii germanici, qvem purè monarchicum negat: *Ad Monarchiam enim*, inqvit, *animi fortitudo spectat, nobis autem imprimis est Aristocratia retinenda*, Sleidan. *lib. 1. pag. 20.* qvo
2. qvidem † haud paucos nostratium Politicorum offensos iri veremur, attamen veritatem dissimulare nolumus, non tàm Ele-
3. ctorali hôc pronunciatô persvasi, qvod abusivè † pro dominatu injustô ac tyrannicô à Frider. Hortledero *in not. ad n. 2. cap. 4. lib. 5. de just. belli german.* intellectum, & ex totô voti Electoralis
4. contextu probatum meritò deosculamur, † qvàm justis & urgentissimis rationibus convicti, qvibus scatent scripta Politicorum, ut eas huc transferre, & crambem bis coctam proponere frustrà planè foret, præsertim cùm maximâ ex parte jam à me fuerint recensitæ *in Comm. ad Leg. Reg. cap. 13. sect. 8.* Nec enim
5. nova est † hæc qvæstio, sed jam dudum exactissimè ventilata, & contra statum monarchicum, (qvem Viri nominis maximi & honoratissimi defensare adnixi fuerunt, Herm. Kirchn. *in orat. 15. & de Republ. disp. 2. th. 3* Dom. Arum. *tom. 1. jur. publ. discurs. 2.* Nobilissimus Do. Johan. Frider. à Brand, Fautor & amicus meus colendus *in Vindicijs Mauritianis. conclus. 6.* Frider. Hortleder. *de causâ belli german. lib. 1. cap. 18. & lib. 3. cap. 30.* Anton. Coler. *tom. 2. disp. de jure publ. Hanov. impress.* Reinhard. König apud Goldast. *in polit. imper. part. 15.* Theod. Reinking *de regim. secul. & eccles. lib. 1. class. 2. cap. 2.* Wilhelmus Witzendorff Superintendens Bardowicensis *in peculiari discurs. super hâc qvæstione*, aliiqve citati ab Arnis. *de Re-*
6. *publ. cap. 6.*) decisa † à Joh. Limn. *lib. 1 jur. publ. cap. 10.* ut propter eâ

eâ operam inanem impendisse videremur, si vel tantillum illustrando adduceremus. Unicum ergò, in qvo totus hujus qvæstionis & argumentorum hinc inde à Politicis collectorum nervus consistit, tetigisse sufficiat. † Convenit nimirum inter omnes, Majestatem monarchicam ex summô unius Imperiô ac potestate æstimandam, Besold. *in discurs. de monarch. cap. 1. & passim.* Bodin. *lib. 1. de Republ. c. 8. & lib. 2. cap. 3. nec non in method. histor. cap. 6.* ubi contra Aristotelem sic infert : † Si enim summum imperium habuerunt, sanè Reges sunt, Nicol. Machiavell. *disc. 1. cap. 2.* Arnold. Clapm. *de arcan. Rerumpubl. lib. 6. cap. 15.* Jam si assumere liceat, † Imperatorem solum hodie summum tenere imperium, juraqve majestatis exercere, tantum abest, ut plerisqve in causis, bona ac jura Imperii concernentibus, adsensum Archi-Principum Electorum & Procerum Imperii adhibere necessum habeat, ex Capitulatione & legibus sibi præscriptis, Sleidan. *lib. 1. pag. 18. & 19.* † Specialiter verò qvi id declaratum expetit, adeat Limn. *dicto loco*, legatqve si lubescat, qvæ hôc de argumentô copiosiùs scripsi *in Comm. ad L. g. Regiam, dict. cap. 13. sect. 6. & in toto illo tractatu.* † Ex qvô qvàm firmum seqvetur conclusum, ultrò perspicuum est, in qvo subsistimus, donec erroris convincamur. Firmius autem fulcrum hoc erit, † si qvô telô cohors Politicorum nervum argumenti expugnare contendit, perspexerimus, ubi varia qværi videmus media elabendi; Utplurimùm namqve † assumtionem nostram ita eunt destructam, ut nihil Majestati & summo Cæsaris imperio decedere existiment, si in consilium adhibeat Ordines Imperii, illis inconsultis nil faciat, nec ab eorum conclusô recedat, qvod & veteres Imperatores, Monarchæ nullô contradicente habiti, fecerint, *l. 4. l. 8. C. de lb. l. 3. C. de testam. l. 23 ff. de legat. 3.* † qvale etiam fuit illud Caroli Magni : *Consiliô Principum Regni nostri : Prout cunctis placuit prudentioribus Regni nostri : Communi consilio : Ab universis sensatis : Vos quasi patres ac fratres audivi &c. in Constitutione de regiâ Imperii Transalpini sede,* apud Goldast. *tom. 2. const. imper.* nec non pronunciatum Theodosii Imperatoris : † *Quam sententiam inter nostra capitula pro lege tenendam consultu omnium fidelium nostrorum, tàm Clericorum qvàm Laicorum posuimus, in can. 37. caus. 11. quæst. 1.* Atqve hinc

7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

hinc, ajunt, imperium & potestas penes solum est Cæsarem; pe-
16. nes Ordines verò Imperii res ab Imperiô diversissima, † nem-
pe jus consulendi, juxta illud Frider. I. Imperatoris: *Non servire e-
quidem cogar, sed condere jura fas habeam, vestris cupio disponere cun-
cta consiliis*, Ligur. *lib. 8.* qvô in argumenti genere copiosior est præ
17. aliis Nobiliss. Dn. Brand *alleg. conclus. 6.* Fatemur sanè, † rem
acu tactam fuisse, & lubentes à nostrô discederemus assertô, si
probatum dedissent, etiamnum hodie Septemviros ac Status Im-
perii ab Imperatore in consilium duntaxat vocari, conclusum ve-
18. rò à solô Imperatore ferri. † Sed cùm recepti sint in consorti-
um potestatis, ita ut Imperator nolens volens adsensum & auto-
ritatem Statuum Imperii in Comitiis adhibere necesse habeat,
idqve ex legibus in Capitulatione sibi præscriptis, suôqve jure-
jurandô firmatis, concidit hinc unô ictu, qvicqvid etiam mo-
19. menti aliàs habet distinctio inter consilium & potestatem. †
Rumperetur etiam totius Capitulationis vinculum, si eam de
solô consiliô acceptam vellemus: & qvomodo defensari poterit
20. hæc acceptio, † si qvô jure ac nomine prodeant Recessus Im-
perii, pensitemus? Jure nempe conventionis atqve contractûs,
ut firmat formula illa notissima: (Haben wir uns mit ihnen/ und
21. sie sich hinwiederumb mit uns verglichen/) Recessibus inserta. †
At qvæ obligatio oriri potest ex nudô consiliô? qvid opus con-
ventione & pactô, si penes solum Imperatorem resideret auto-
22. ritas & summa potestas? Sed properamus ad arma aliorum, †
qvi distinctione inter statum seu jus Imperii ipsum, & admini-
strationem ejus, assumtionem nostram infringere conantur, cōce-
dentes qvidem Principibus ac Statibus Imperii administrationē,
23. sed ademtô iis omni Imperii jure, ex qvô solô tamen de statu mo-
narchicô sit dijudicandum; † de qvâ distinctione à se adinventâ
multùm gloriatur Bodinus *lib. 2. de Republ. cap. 2. & lib. 6. cap. 6.* in
eâqvè sibi placent Reinking *dict. cap. 2. n. 104.* & Joh. Henricus Al-
stedius *in Encyclopædiâ tom. 4. lib. 23. cap. 4. pag. 1407.* & seqvuntur
24. hanc distinctionem Politici nostri passim. † Sed num firmô
ea stet talô, certi qvid asserere nolumus, ne aliis videamur singu-
lares, ambigentes interim de hujus veritate, si ad definitionem
Majestatis eam revocaverimus; qvæ definitur summa potestas
guber-

gubernandi & administrandi: quæ ergò potestas summa absque regimine? quæ majestas absque gubernatione? Et quid status vel forma regiminis absque administratione? sine quâ nunquam consistere potest; † Sed est administratio in perpetuô motu & actione, quâ cessante status ipse, hoc est, forma Reipublicæ cessare cogitur, veluti id pluribus deducit Limn. *dict. libr. 1. jur. publ. cap. 10. n. 21. & seqq. & in discurs. apologet. contra Witzendorf-fium. sect. 3. & 4.* † Rectiùs forsan fecisset Bodinus, si omninò gubernationem à statu ipso separare voluisset, distingvendo inter jus ipsum ac potestatem administrandi vel gubernandi, & ipsum administrationis seu gubernationis modum atque exercitium: † qvô modo distinctio accepta longè videtur verissima, neqvaqvam tamen dogmati huic contraria. Concedamus enim, statum monarchicum qvandoqve aristocraticè, qvandoqve democraticè administrari, jus tamen statuendi & administrandi, unde de ipso judicandum statu, penes unum remanet, † cujus nomine ac jussu omne susceptum est regiminis & administrationis exercitium: nec enim potestas & jus administrandi salvâ majestate adimi Principibus potest, & in alios transferri, vel saltem iis communicari. Cùm verò in Imperiô germanicô Principes ac Ordines non exercitium regiminis solummodò teneant, sed & jus ipsum administrandi ac disponendi unà cum Imperatore iis fuerit reservatum, qvô de instar plurimorum testis omni exceptione major est Moguntinus, Archicancellarius Imperii in votô suô, accedente Lege Regiâ fundamentali, † qvis non infirmitatem distinctionis hujus animadvertet? cujus sanè vigore assumtio nostra nunqvam elidetur. Nec majus nobis facessunt negotium alii, † distingventes inter jura majestatis, & ipsam majestatem, ita ut licèt Ordines Imperii compotes sint facti jurium majestatis, de ipsâ tamen majestate nil qvidqvam participent, Witzendorff *in allegat. discurs. conclus. 5.* † Agnoscimus eqvidem differentiam inter majestatem & ejusdem effecta, jura scilicet majestatis, ne in absurdum ruamus, & Nobilibus etiam, qvi Status Imperii non sunt, ac nihilominus jura qvædam majestatis seu regalia specialiter sibi concessa exercent, majestatem largiri cogamur, Regn. Sixtin. *de regal. lib. 1. cap. 5.* † qvodq; salvâ

Margin numbers (right): 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32

N

salvâ majestate Regalia & jura majestatis aliis concedi qveant, eâ conditione, ut solum jurium horum exercitium in alios trãsferatur, ac superior majestate præditus Regalia per eos exercere censeatur, demonstravimus *in Comm. ad Leg. Reg. dict. cap. 13. sect.*
33. *2. n. 23. usq; ad finem.* † Sed minùs aptè differentia hæc nostra accommodatur argumento, qvô id potissimùm intendimus probare, qvòd sine adscitu & cooperatione Principum ac Procerum Imperii jura majestatis, qvæ indubitata ipsius majestatis sunt effecta, Imperator neqveat exercere, prohibitus Lege Imperii fundamentali; qvorum usu tamen interdictum ei non est, licèt regalia
34. inferioribus concesserit. † At nec jura majestatis Ordines Imperii ex beneficiô & concessione imperatoris obtinuerunt, sed transferentes imperium per communicationem aliqvam ipsimet sibi hæc reservârunt: unde accuratiùs re perpensâ non tàm jura maje-
35. statis, † qvàm jus majestatis ipsum unà cum Imperatore tenent & exercent, benè monente Limn. *in dict. disc. apolog. sect. 8. num. 28.* Fusiùs hoc deducere arcemur institutô, dissertatiunculam, non integrum tractatum scribentes. Hoc tamen intactum relinqvere haud possumus, qvod tanqvam Medusæ caput
36. vulgò dogmati huic opponitur, † Imperatorem omnibus & singulis ex plenitudine potestatis imperare, prout liqvescit ex formulâ illâ, cujus passim in Recessibus Imperii fit mentio: Aus Käyserlicher Macht und Volkommenheit / *Recess. de anno 1542. & de anno 1544.* unde Monarchiam infallibiliter inferen-
37. dam contendit Reinking *dict. cap. 4.* † Conseqventiam hanc ut effugiat Joh. Limn. clausulam illam restringit ad jura qvædam soli Imperatori reservata, qvorum intuitu autoritate pariter & majestate Status Imperii superat, *dict. lib. 1. jur. publ. cap. 10. n. 38. & in*
38. *discurs. apologet. sect. 8.* Alii verò † ex clausulis ejusmodi & Recessibus Imperii non satis curiosè & dextrè conscriptis parum probari, nec verbis illis magnificis contra rerum naturam nimis
39. indulgendum putant. Sed qvid ullâ opus anxietate? † si clausulis hisce eam designari plenitudinem potestatis dicamus, qvæ ex Capitulatione & Legibus fundamentalibus competat Imperatori, nimirum aristocraticè temperatam, ut demonstrabimus *Dogmate seq.* Procerumq; Imperii consensu & autoritate limitatam.

Nec

Nec † enim virtus posita est in nomine, sed in autoritate, nec 40.
curandum de nomine, qvando habemus effectum, Fulv. Pacian.
consil. 149. n. 2. Aut si omninò absolutè id intelligi debeat, † vi- 41.
detur Imperator locutus nomine totius Imperii, qvod ipsemet ut administrator & caput repræsentat, & qvid omnium Imperii Ordinum adsensu & voluntate actum atqve conclusum, eloqvitur & pronunciat.

DOGMA VII.

Nec tamen aristocraticus est Imperii status, sed monarchicus aristocraticè mixtus, in qvo Imperatorem veneramur Monarcham.

NObiscum qvi sentiunt, statum Imperii modernum purè monarchicum non esse, verè sentiunt, nec verendum, ut falsi convincantur, *Dogmat. praeced.* † Caveant 1.
tamen, ne explosô unô ruant exremplò in aliud extremum, & qvem monarchicum negârunt, adstruant statum aristocraticum; in qvo qvidem præsidium sibi pollicentur à Gallis,
† inprimis verò eorum Politico, qvi Aristocratiam Germaniæ ex 2.
septem Electoribus, trecentis Principibus, ac Civitatum Imperialium legatis coalescentem, qvibus Princeps unus præest, ut Concilii jussa exeqvatur, aut magistratum abdicare cogatur, in scenam producit, Bodin. *libr. 2. de Republ. cap. 1. pag. 291. & cap. 6.*
pag. 348. † cujus assertum Evangelii loco sibi habet Pierre Mat- 3.
thieu, & si non crassiori, parili tamen ignorantiâ rerum germanicarum deceptus, Imperatorem Duci Venetorum æqviparat: *Le tiltre*, inqviens, *de l' Empereur n' est gueres plus à present que celuy d' un Duc de Venice*, hoc est, *Non plus valet titulus ac nomen Imperatoris, qvàm Ducis Venetiarum. tom. 3. livr. 3. narrat. 2. de*
l' histoire de Henry IV. † nec latum unguem à Gallorum 4.
nugis recedit, qvin potiùs tuetur eas Tileman. statum Imperii germanici purè aristocraticum ab ætate Caroli
Magni derivans, *vol. 1. disput. 2. th. 48.* † omnium acer- 5.

simè

rimè autem Hippol. à Lapide *de ratione status. part. 1. cap. 3. & seqq.* tàm audacter tantâqve temeritate, ut omnem majestatem Impe-
6. ratori detractam cupiat, *dict. cap. 3. sect. 2.* † Et si non qvid senserit Moguntinus Elector, sed qvomodo verba ejus aures vulgi excipiant, arripere qvis præsumat, nil iniqvi is contra statum Imperii ab iis dictum crediderit; Ita enim Archicancellarius Germaniæ:
7. *Ad monarchiam illa spectat; nobis autem imprimis Aristocratia est retinenda,* apud Sleidan. *lib. 1. histor. pag. 20.* † Sed verba Septemviri sinistrè captanda non sunt, nec in sensum Bodinianum torqvenda, qvibus, si totum voti Electoralis contextum plenè perspexerimus, & mentem loqventis exploraverimus, primariam ac principaliorem majestatem & potestatem haud Imperatori ademtam, fateri necessum habebimus. † Præterqvam enim qvòd
8. Jmperatori multa sint reservata jura, de qvibus nil Status Imperii participant, Christ. Besold. *lib. 1. polit. cap. 8.* attemperandam saltem certis legibus imperandi facultatem svadet Moguntinus, qvod & posteà in effectum ita deductum, ut per leges in Capitulatione præscriptas jus ac potestas imperandi ad voluntatē & adsensum Statuum Imperii fuerit restricta, atqve sic inter Cæsarem
9. & Ordines Imperii divisa, † ita nempe, ut tantum valeant Proceres Imperii, qvantum Imperator solus: qvæ divisio neqvaqvam
10. convenit statui purè aristocratico, † in qvo æqva inter Optimates singulos reqviritur summæ potestatis ac imperii partitio, fatente ipsômet Bodinô *lib. 2. de Republ. cap. 1. in pr.* Dom. Arum. *tom. 1. jur. publ. discurs. 1.* Et convenit apprimè argumento huic do-
11. gma illud, † à Tobiâ Paurmeistero de Comitiorum serie consignatum, *lib. 2. de jurisdict. imper. Roman. cap. 2. n. 20.* omnem nimirum in deliberationibus facultatem ac disponendi potestatem in duos distribui semisses, pro partibus tamen indivisis: qvo-
12. rum unum Cæsar, reliqvum Ordines obtinent universi; † ex qvo in Comitiis omnia consensu & voluntate Procerum ac Statuum Imperii peragi & decerni necesse est, in tantum, ut si inter Cæsarem & Ordines, vel majorem saltem eorum partem res
13. coire neqveat, nihil actum judicetur; † neqve Imperator

ratot ex plenitudine potestatis, neqve Ordines invitô illô qvid-
qvam statuere valeant, Goldast. *in Replicat. pro Imperio contra*
Gretser. cap. 11. p. 105. Paurmeist. *dict. cap. 2. n. 50. & n. 63. ac seqq.*
Insurgit † eqvidem contra hoc assertum Autor tract. *de rati-* 14.
on. stat. cap. 4. sect. 4. & 5. ratiunculis qvibusdam partim ex qvalita-
te suffragiorum, partim ex conditione & naturâ Regimenti, Ca-
meræ Imperialis & Comitiorum particularium congestis ; † 15.
Sed frustrà, si qvid in universalibus Comitiis, causas totius Im-
perii concernentibus agitur, observemus, nimirum qvòd per
modum pacti & conventionis conclusa & Recessus Imperii pro-
deant, ita ut Cæsar hinc Ordinibus, & hi rursus Cæsari obligen-
tur. † Qvis verò in scholâ JCtorum edoctus nescit æqvalem 16.
obligationis distributionem, ejusqve semisses inter contrahen-
tes; sive enim unus cum altero, sive cum pluribus paciscatur,
in tantum & pro tali ratâ seu portione solus obligatur, qvâ re-
liqvi omnes simul, qvotqvot etiam eorum sunt, ei rursus obstrin-
guntur ex naturâ pacti & conventionis, *l. jurisgentium. 7. & toto tit.*
ff. de pact. † Repræsentant namqve plures cum aliqvo paciscentes 17.
partem unā cum alterâ parte contrahentem. Vim hujus argumēnti
Hippol. à Lapide duplici modô infirmare intendit; † Dicis nam- 18.
qve causâ formulam contractûs in Imperii Constitutionibus ad-
hiberi, vel conventionem illam non Ordines Imperii conjun-
ctim, sed eos unà cum Imperatore ut singulos constringere,
ait; ne si contingat Imperatorem, qvâ talem & qvâ Austriæ Ar-
chiducem, simul in Comitiis comparere ac suffragium dicere,
jus Archiducatûs cum potestate ac obligatione Imperatoris
confundatur. † Sed frivolè omnia: Qvis enim putave- 19.
rit, in sanctionibus publicis negotia Imperii concernentibus
frustrà ac dicis causâ qvidqvam proferri? Totqve Princi-
pes, tot Cancellarios, tot Legatos, tot Consiliarios ac Vi-
ros prudentes præter intentionem aliqvid scribi, formulam-
qve periculosam Legibus publicis addi passuros fuisse? Hoc
licèt dicat Hippol. à Lapide, nemo tamen id crediderit. † 20.
Considerationem verò Ordinum ac Imperatoris, ut personarum
singu-

singularum, sanus formulæ hujus (Haben wir uns mit ihnen/und sie sich hinwiederumb mit uns verglichen) intellectus neqvaqvam admittit, qvis non enim duos hinc saltem, vel duplicem contra-
21. hentium partem animadvertet? † Nec absonum, ut Imperator secum ceu Archiduce Austriæ, & cum reliqvis Ordinibus conjunctô contrahat, duplicis personæ respectum repræsentans, veluti etiam qvondam contra seipsum ut Austriæ Archiducem mandata decrevit : Wir Carl &c. Römischer Keyser / entbieten dir Carlln / Ertzhertzogen zu Osterreich. Buxdorff. *ad Aur.*
22. *Bull. concl. 64. circa fin.* † Nimirum passim confundit Hippol. à Lapide diversum Imperatoris respectum, & reliqvis Imperii Ordinibus solis majorem potestatis partem ac superioritatem attribuit, iis Imperatorem subjiciens, omnemqve adimens ei majestatem. Parili deinde ejusdemq; farinæ argumentatione effi-
23. cere id anxius est, † qvòd Imperator teneatur Ordinibus Imperii actionum suarum rerumqve gestarum reddere rationem: qvòdqve si dignitate Imperatoriâ indignus judicetur, à gubernaculis removeri ac dignitate exui qveat, *part. 1. cap. 3. sect. 2.* Sit ita,
24. nec diffiteri possumus, † ad rationes gestorum suorum reddendas fuisse aliqvando Imperatores à Statibus Jmperii vocatos, cujus rei exempla profert Abbas Urspergensis *in Chron. sub Anno 1106. & Anno 1119.* Sigon. *lib. 10. de regno Ital.* unde & Jmperator Jmperii administrator vocatus, *Recess. Imper. Augustan. de Anno*
25. *1559. in pr.* Limn. *lib. 1. jur. publ. cap. 10. n. 36.* qvò & respicit † Resolutio Jmp. Matth. erga Protestantium Legatos : Ihre Keys. Mayt. wolten dero schweren Beruff und *autoritæt* in *administration* der *Justitien* also in acht nehmen uñ erzeigen/daß sie es gegen Gott/ den Ständen / und bey künfftigen Reichstage verantworten köñen. *Relat. actorum in Comitiis Ratisbonæ Anno 1613. habitis.* Fa-
26. temur † etiam Imperatores aliqvando fuisse soliò dejectos, prout de Henrico IV. refert Cuspinian. *in vitâ ejus*, & Helmold. *in chron. Sclavon.* de Adolpho Nassoviensi, Megiser. *in ejusdem vitâ*, & de Wenceslao Caroli IV. Imp. filio, Aventin. *lib. 7. annal.* licèt, num rectè & justè undiqvaqve id factum, ambigat Goldast. *in Bo-*
27. *hem. lib. 1. cap. 5. num. 6.* † Parùm tamen inde stabilire poterit

erit superioritatem Principum in Imperatorem Hippol. à Lapide. Ut enim modò diximus, confusè admodum nec diversô regiminis & Imperatoris habitô respectu argumentum hoc profert, haud considerans † . *Primò*, documentum aliqvod realis majestatis in actionibus istis latere, à qvâ cùm Imperator pariter ac Ordines universi, qvicqvid potestatis habent, acceperint, neutra pars contra alteram, superioritatem aliqvam prætexere valet. 28.
Deinde etiam non distingvit Autor ille † inter Ordines Imperii singulos, qvà membra corporis separata, & conjunctim cum Imperatore consideratos, qvà corpus ut caput & membra constituunt integrum, à qvo Imperatoris persona, cui maxima potestatis pars competit, excludi haud debet. Qvantumvis ergò hic rationes suæ administrationis aliqvando reddiderit, † attamen non solis vel singulis Ordinibus inde se submisit, sed coram totô Imperiô, cujus maxima ille ipsemet pars est, qvin & director & caput, rationes deposuit; veluti qvoqve non ab Ordinibus Imperii solis, sed à toto Imperii corpore, cui Imperator præest, exauctoratio facta. † Nec enim absurdum, ut Collega aliqvis, vel etiam Præses toti Collegio, cujus caput ille est, actionum suarum rationem demonstret, qvô ipsô tamen Collegis suis haud subjectum se fatetur. Pluribus ut hoc demonstremus, institutô nostrô prohibemur. Qvid ergo: cur Moguntinus Elector Aristocratiam in Germaniâ retinendam suadet? *suprà n. 6.* Breviter qvò obicem hunc removeamus, † intellectum voluit Archicancellarius statum frenô certarum legum & particulâ aliqvâ reservatæ potestatis ita limitatum & temperatum, ne facilè in tyrannidem & dominatum injustum erumpere possit, veluti elucescit ex oppositione factâ Monarchiæ, † per qvam non statum monarchicum, sed tyrannidem indigitavit, qvô sensu etiam voculam hanc accepit Henricus Galliarum Rex II. *in scriptô Anno 1552. publicè divulgatô* apud Frider. Hortleder. *de just. belli german. lib. 5. cap. 3. n. 7.* Sleidan. *l. 24. hist. p. 699.* & parili intellectu Mauritius Elector ac fœderati Principes germanici, Sleidan. *d. lib. 24. p. 696.* Hortled. *cit. l. 5. c. 4. n. 2.* † Nec miretur qvisqvam significatum hunc Monarchiæ abusivum, cùm jamdudum Lambertus Schaffnaburgensis illum approbaverit, de Bremensi Archiepiscopô ita scribens: 29. 30. 31. 32. 33. 34.

Hoc

Hoc adeò fiebat odiô ejus, qvem omnes criminabantur, sub prætextu Regiæ familiaritatis, monarchiam usurpâsse manifestæ tyrannidis, *in libr. de reb. gestis Henr. IV. tom. 1. veter. german. scri-*
35. *ptor. Joh. Pistorii Nidani, fol. 175.* † Nec non B. Luth. *in epistola ad Pastorem qvendam, in tomum 7. Jenens. fol. 386. relatâ.* Principesqve alii in scriptis suis, ut evidentiùs demonstrat Frider. Hortled. *in not. ad n. 2. cap. 4. lib. 5. de just. belli germ.* Unde qvomodo Moguntinus Aristocratiæ voculam Monarchiæ seu tyrannidi oppo-
36. sitam acceperit, satis expeditum est. † Sed qvalis tandem status Imperii nostri germanici, si non monarchicus, nec etiam aristocraticus? Ex prædictis infallibiliter erit inferenda Reipublicæ
37. germanicæ mixtura & participatio de utroqve, † unde statum Imperii nostri ex Monarchiâ & Aristocratiâ commixtum verè diximus, cum Joach. Cluten *in syllog. rer. qvotid. conclus. 16.* Velsten. *decad. 7. th. 6.* Huraldo *lib. 1. de offic. Reipubl. cap. 3.* Besold. *lib. 1. polit. cap. 8.* Clapmar. *de arcan. Rerumpubl. lib. 5. cap. 20.* Inciden-
38. tes hinc inopinatò in † disputata Philosophorum, an majestas misceri, statusq; Reipublicæ mixtus dari & existere posfit, qvæ & Politicorum qvorundam oculos ita perstrinxerunt, ut omnem
39. expugnatam iverint Reipublicæ mixturam, † qvorum antesignanus est Gallus, contentionem eam hoc definiens effato: Hæc nostra conclusio est, nullam unqvam Rempublicam ex duabus, multò minùs ex tribus speciebus constitui, ac ne opinione qvidem fingi posse, *lib. 2. de Republ. cap. 1.* Tholosan. *de Republ. lib. 5. cap. 1.* Timpler. *5. pol. qvæst. 7.* Otto Meland. *in ideâ stud. polit. p. 73.*
40. Rationes † si expetere velis, plenô clamitabunt ore cum Philosophis Politici: Contraria inter sese haud misceri: Nullum accidens constituere vel mutare rei essentiam: Majestatem esse qvid indivisibile: Non esse miscibile, qvod non est communicabi-
41. le; & qvæ sunt alia. Sed futilia omnia, † qvod saltem per instantiam demonstrare licet. Qvomodo qvæso in statu aristocratico & democratico Majestas residet in pluribus personis? Qvomodo elementa miscentur? Qvomodo in corpore humano humores contrarii? Qvomodo jus, qvod per se individuum, dividi dicitur? *in l. 9. §. 12. ff. de hered. inst.* Ulteriori explicatione
42. brevitatis causâ supersedemus, unicum hoc attexentes: † In statu

Reipu-

Reipublicæ qvocunqve, sive purô sive mixtô, nunqvam majestatem misceri, communicari vel dividi, sed integram & indivisam per se relinqvi, licèt non apud unum, sed plures sit; Variè autem apud plures qvasi per concursum existere posse, ut inde forma Reipublicæ vel simplex vel mixta appareat: † Estq; in statu mixto 43.
eadem majestatis substantia, qvæ est in statu simplici, licèt diversimodè exerceatur, Limn. *in scripto apologet. contra Wilhelm. Wuzendorff. sect. 6.* Nimirum † non ipsa majestas, sed applicatio ejus ad 44
personas vel unam vel plures, status diversos, qvin & mixturam efficit. Sed nondum in portu sumus, † nec acqviescendum nobis 45.
erit, priusqvam statum prædominantem demonstraverimus: Qvalis verò ille in Imperio germanico? Hunc ita ex Monarchiâ & Aristocratiâ mixtum dicit Joh. Limn. *alleg. cap. 10. n. 12.* ut Aristocratiæ lumen clariùs appareat. Audacter aliqvantulum, † si præ- 46.
dominantem Imperatoris potestatem ac præcedentiam haud dissimulemus, unde perspicuum ultrò, statum Imperii germanici ad Monarchiam magis inclinare, & hinc statum monarchicum aristocraticè mixtum nobis repræsentari, qvod probè advertit Lips. *2 polit. 2.* Keckerman. *lib. 2. syst. polit. 4.* Godofr. Anton. *in disp. Antivultejan. de potest. imper. & stat. hodiern. Imp.* apud Goldast. *in polit. imper. part. 13.* † Nec præeminentiam illam demonstrare diffi- 47.
cile erit; Ex qvo enim tantum potestatis Imperatori, qvantum Ordinibus Imperii in universum competere fassi sumus *suprà n. 11.* qvô & illud Maximiliani I. Imperat. haud obscurè facit: Wir haben uns mit des Heiligen Reichs Ständen/ und sie mit uns gegen und mit einander vereiniget/ verpflichtet und vertragen / *in Recess. imper. Colon. de anno 1512.* ubi inprimis particula (gegen) notanda; † hôc ipsô sanè prædominans unius potestas proba- 48.
ta est; maximè cùm & jura qvædam majestatis Imperatori adeò sint appropriata, ut solus ipse ea exercere valeat, Proceribus Imperii nihil de hisce participantibus. Puta: † exteris Prin- 49.
cipibus milites in Imperio conscribendi concedere licentiam: Adversus non subditos Imperii processus decernere: De feudis majoribus sessioneq; inter Status cognoscere, ut refert Denaisius *in jure Camerali. §. Cæsaris in Imperio eminentia, &c. & aliqvot seqq.*

O Besold.

50. Besold. *lib. 1. polit. 8.* Sed qvid multis † si ipsam Imperii legem fundamentalem, Capitulationem nempe accuratiùs inspexerimus? nec enim per illam Principum autoritas restricta, sed principaliter ac finaliter Cæsaris potestas certis conditionibus fuit limitata, qvod etiam ex voto Moguntini Archicancellarii luculenter apparet. Ergò qvæ antea fuerit potestas monarchica, aristocraticè inde est mixta, nam qvod principalius & prædominans est,
51. mixturâ solet attemperari. † Qvô positô, Imperatorem etiamnum hodie, mixturâ illa non obstante Monarcham salutare infallibilis cogit conseqventia, scilicet qvia ut in omnibus, ita & in
52. Rerumpublicarum formis † à potiori, eoq; qvod prædominatur, fieri debet denominatio, *arg. §. si qvis in aliena. Inst. de rer. divis.* ex qvo apud alias qvoq; gentes Monarcha & Rex vocatur, qvi
53. non nisi statûs mixti est Princeps, Besold. *dict. cap. 8.* † Exemplô ut id clarius reddatur, licèt qvatuor humores, cholera, sangvis, phlegma & melancholia in cujusvis hominis corpore reperiantur, ab uno tamen & qvidem prædominante humore homo vel sangvineus, cholericus, phlegmaticus vel melancholicus denominatur; qvidni ergò etiam titulus Monarchæ relinqveretur Imperatori, potestate licèt attemperatâ? Andr. Knichen *de Sa-*
54. *xon non prov. jur. verb. Ducum Saxon. cap. 1. n. 59.* Petr. Heig. *p. 1. q. 2. n. 21.* † Qvem nec alii Reges, nec Turcæ Imperatori invident, Arum. *tom. 1. jur. publ. disc. 1.* Goldast. *in legat. Ibrahimi Stroca, Anno 1562. in*
55. *Comit. Francof.* † Titulumq; Monarchæ fortiori jure sibi vendicabit Imperator, si Monarchiam theologicè acceptam Imperio germanico haud adimamus, qvam visione Danielis *cap. 2. & 7.* præfiguratam volunt Theologi, eamq; non pro absoluto unius
56. regimine in subditos, sed pro tali accipiunt Imperio, † qvod autoritate divinâ alia superat Regna, cuiq; status populi Deo Ecclesiæq; magis qvàm aliis est obnoxius, Herm. Kirchner. *disp. polit. 5. th. 7.* Horum qvatuor referuntur Regna: Assyriacum, Persi-
57. cum, Græcum & Romanum. Qvod ultimum. † cùm adhuc apud Germanos duret, si non prophetiam Danielis fefellisse qvis impiè dixerit, Dn. Henr. Höpffner. *in Saxon. Evangel. contra Cutsem. sect. 2. part. 3. cap. 5. n. 3.* Bened. Pener. *lib. 2. in Dan. vers 9.* Arum.
58. *tom. 1. jur. publ. disc. 2.* nec † Monarchiam hanc sacram ei detractam,

tractam, tuentur nostrates Theologi pariter ac Politici, Christophor. Helvic. apud Goldast. *in polit. imper. fol. 474.* Henn. Arnis. *lib. 2. relect. polit. cap. 2. sect. 3. num. 2.* Joachim. Cluten. *in syll. rer. qvotid. conclus. 2* Georg. Mart. Bartensteinensis *de potest. Impp. lib. solutâ, adversus Gothofr. Anton.* apud Goldast. *in polit. imper. part. 13. discurs. 3.* Besold. *de jurisd. Imper. Roman. qvæst. 2.* † ut 59 hinc duplici jure atqve respectu Imperatorem nostrum meritò Monarcham colamus, veneremur.

DOGMA VIII.

Nil metuendum periculi liberis Septemvirûm, suffragiis ex designatione aliqvot Principum haud interruptâ serie, certâ de familiâ ad fasces Imperii evectorum.

NOva haud est qverela, de electione Imperatorum ex certâ aliqvâ familiâ serie continuatâ ad fasces Imperii adscitorum, qvâ olim Protestantes liberis Electorum suffragiis non parùm præjudicari existimavére, inter alia 1.
† & hanc legem provisionalem à Cæsareâ Majestate extorqvere 2.
allaborantes: Daß hinfüro aus keinem Fürstlichen Hause drey Könige nach einander erwehlet oder genommen sollen werden / damit die Freyheit oder Wahl der Personen halber nicht in eine Verjährung oder Gerechtigkeit geführet werden möge / *ex actis Sweinfurti de anno 1532. regiam electionem concernentibus* Melch. Goldast. *part. 2. rer. imper. german. tit. 4.* suspicionem scilicet
foventes, † fieri vix posse, ut non familia ista jus aliqvod radicatum sibi inde persuasum haberet, & titulô hereditariô sceptra Imperii germanici successores anhelarent, contra naturã electionis, 3.
† qvam germanica gens liberrimam semper esse voluit, nec certo generi, stirpi ac familiæ alligatam & adstrictam, ut verè dixerit Gœden: † Ire per successionem, contra libertatem Imperii est & germanicæ nationis, *in discurs. de elect. Reg. Romanor.* Christophor. Besold. *de jurisd. Imper. Roman. qvæst. 9.* Eademqve suspicio Cardinales invasit, qvibus † post fata Leonis 4. 5. 6.
X. Pontificis ex Medicæorum Familiâ oriundi, cùm Julianus Medicæus Pontificatum ambiret, ipsum ex eâdem familiâ in locum

defuncti Pontificis subrogari, qvòd qvasi hereditariò jure in Pontificatu succedendi exemplum foret, valdè perniciosum videbatur, Franc. Guicciardin. *lib. 14. histor.*
7. Et † ex parili fundamento Innocentius III. Papa, cùm Sueviæ Duces adhuc Imperium obtinerent, haud consultum putavit, ut identidem ex unâ familiâ sumerentur Reges: Si enim, inqvit, prædictus Philippus Sueviæ Dux Imperium obtineret, libertas Principum in electione periret, & imperium obtinendi de cætero, cæteris fiducia tolleretur:
8. † Nam si prout olim frater dicti Ducis patri eorum, si Dux ipse fratri suo succederet, videretur Imperium non ex electione, sed ex successione deberi, præsertim cùm multi Principum ex Imperio æqvè sint nobiles & potentes, in eorum præjudicium redundaret, si non nisi de domo Ducum Sueviæ videretur aliqvis ad Imperiū assumendus, *in cap. venerabilem 34. extr. de elect.* Besold. *dict. q. 9.*
9. † Pungit hinc, ut & aliàs semper Hippol. de Lapide *de rat. stat. part. 2. cap. 2. sect. 1.* domum Austriacam, ex qvâ cùm jam decem Impp.
10. serie continuatâ sceptrorum germanicorum potiti fuerint, † tàm altè in familiâ Austriacorum Imperium radices egisse putat, ut ejus evellendi vix ulla spes appareat, cum Joh. Bodino *lib. 2. de Republic. cap. 3.*
11. † idem ferè sentiens, qvod ex mente Francisci Galliarum Regis scriptum reliqvit Guicciardinus: Id qvod jam uni, jam alteri suffragiis tribuendum erat, in eâdem stirpe ferè hereditariò jure permanere cœpisse, cumq; eligendi modum, qvô à proximis ex defunctorum stirpe recedere non auderent, successionem appellari posse: Sic ab Alberto Austrio Imperium ad Fridericum ejus fratrem; à Friderico in Maximilianum ejus filium venisse: & nunc de eo à Maximiliano in Carolum nepotem
12. transferendo agi, *lib. 3. histor.* † Et tandem indignabundus qvasi Autor iste personatus in hæc erumpit verba *part. 3. cap. 3. sect. 1.* Optandum foret, Electores stetisse pacto, qvod tempore Ludovici Bavari inter se fecisse nonnulli scribunt: Daß zu ewigen Zeiten keiner vom Hause Osterreich zum Römischen Keyser erwehlet werden solle/ *ex autore scripti* des *apocalypti*schen doch *politi*schen Bedenckens von dem zu Franckfurth an Mayn angestalten *Compositions* Tage/ sub nomine Irenæi Heylandes *anno 1631. editi.*
13. † Sed audiamus etiam de hoc themate eos, qvi bases & columnæ dicuntur Imperii, Septemviros Serenissimos, qvos latere neqve-

neqveunt arcana nationis germanicæ, qvæqve ei sunt maximè proficua. † Horum omnium nomine Moguntinus per Germaniam Archicancellarius & Decanus Collegii Electoralis, in renunciatione Caroli V. Imperatoris publicâ, multitudinem populi universam ita affatur; *Familia Austriaca naturâ movemur,* † *qvæ Imperium jam annos plus octingentos ita tenuit, ut nondum pœnitere nos Austriacorum Principum debeat; Imprimis enim enitunt in utroq; avo & proavo, (Friderico scilicet III. & Maximiliano) eximia moderatio & lenitas, qvæ qvidem in Maximiliano Cæsare non poterat segnities videri, &c. Ab hoc prognatum Carolum referre avitam moderationem animadvertimus, &c.* † Et rursus: *Cùm ingentem luctum ac mœrorem interitus Maximiliani attulerit, decet vos vim fati æqviore animô ferre; postqvam nepos, qvem ille charissimum habuit, & nobis aliqvando commendavit, ipsi successit, ut non omninò extinctus videri posit.* † Ac tandem: *Cogitate autem, qvantum decus sit, unam hanc Nationem electam esse, qvæ non tantùm suos fines defenderet, sed custos esset etiam ceterarum gentium, & pro communi salute Christiani nominis præcipuam stationem teneret.* † *Hoc decus magnâ virtute partum à majoribus, & annos ferè jam octingentos in hâc natione conservatum sapientiâ & concordiâ Principum, nolite nunc per discordiam amittere, eoq; in rerum vestra gloria & tranqvillitati, tùm saluti orbis terrarum consulite.* apud Goldast. *in polit. imper. part. 1. fol. 135.* † Difficile hinc forsan videbitur decisum, & gressus semitæ hujus admodum lubricus, ut non facilè reperiantur, qvi virgulam sibi sumserint censoriam. † At qvicqvid etiam senserint Protestantes, qvidqvid suspicati fuerint Cardinales, qvidqvid jusserit Pontifex, & qvidqvid tandem scripserit Hippol. à Lapide, nihil hæc nos morati deosculamur dogma, Septemvirûm consiliô, pronunciatô & autoritate firmatum, † ac ne qvidqvam periculi vel præjudicii liberrimæ electioni hinc imminere existimamus, cùm & veteres Germanos vota libera ad familias antecessorum sæpiùs adstrinxisse, edocti simus à Tacito *de mor. germ.* Lehm. *l. 2 chr. Spir. c. 3.* Melch. Gold. *de maj. l. 3. c. 11. n. 3. & seq.* † Liberrima enim qvantumvis semper fuerit electio novi Regis Romanorum, in Imperio nostro statim à tempore Conradi I. haud facilè tamen, † si qvis dignus fuit ex defuncti familiâ, eum Septemviri prætereundum duxêre;

14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23.

undeFranconica, Saxonica, Svevica & Austriaca stirps diutinè imperium retinuerunt, Casp. Ens *lib. 1. thesaur. polit. apotelesm. 6.*
24. *pag. 146.* Besold. *dict. cap. 9.* idq; non saltem † propter merita prædecessor, qvæ hâc suffragatione remunerari visum fuit Electoribus, Moguntinô in renunciatione Caroli V. in Imperatorem
25. modò adductâ hoc indigitante, † sed etiam ut per speciem hanc electionis bellorum civilium stirpes eliderentur, Joh Bodin. *lib. 6. de Republ. c. 5.* qvô institutô nihil sapientius a ut Reipubl. salutarius unqvam excogitatum putat Hottom. *in Franco-gall. c. 6.*
26. Nec tamen † inde Septemviri ullô obstringuntur vinculô, qvin si ita visum fuerit, seriem Impp. ex certá familiá electorum interrumpere possint, liberrimis sibi reservatis suffragiis, veluti
27. Serenissimus Saxo † Maximiliano Austriaco *Anno* CIↃ DC XVI. per Legatum, Dominum de Westernach designationem successoris Imperatori Matthiæ arroganti masculè respondit: Daß solches der güldenen Bull, der Churfürstlichen Hoheit und præminenz, und dem Herkommen zu nahe gehe / apud Lundorp. *tom. 2.*
28. *actor. publ. lib. 3. tract. 3. pag. 639.* † Et qvid tandem suspicionis restat, cùm recens electus Rex Romanorum ad culmen Imperii haud admittatur, priusqvam omni hereditariæ prætensioni juratò renunciaverit, qvod consiliô Archicancellarii Moguntini prudenter introductum, apparet ex voto ejusdem & legibus Ca-
29. rolo V. præscriptis, apud Sleidan. *lib. 1. pag. 26. & 29.* † Cujus memor Ferdinandus II. se contra libera Electorum suffragia nil tentaturum promisit in Comitiis Electoralibus *Ratisbon. Anno*
30. *1636. habitis.* Verbotenus saltem † regerit eqvidem Hippol. à Lapide *part. 2. cap. 2. sect. 2. in fin.* eligendi libertatem hodie Imperio ac Electoribus salvam esse, perpetuæ tamen successionis in Imperio familiam Austriacam tàm altas egisse radices, ut non sine magno motu & publicæ rei incommodo convelli possit, idq; ex eventu audacter nimis vaticinatur. † Sed qvid hoc aliud,
31. qvàm verba & promissa Principum juramentô firmata in dubium vocare, qvod nobis piaculum. Qvid ergò est, inqvies, qvòd constitutio Pontificia Innocentii III. hanc electionem aversetur?
32. † Parum autoritatis heic, ut & in toto electionis Imperatoriæ actu jussui Pontificis habendum, benè existimaverunt Sep-

ptem-

ptemviri, præsertim cùm repugnet concessioni divinæ, qvâ regnum Judæ à Davide usq; ad Sedechiam, vigesimum primum ejus familiæ Regem permansit, & pollicitus erat DEUS Davidi regnum in ejus familiâ æternum, *2. Reg. 2.* advertente Windeck. *de elect. Imp. cap. 9.* tantum scilicet abest, sanctionem istam pontificiam juri huic qvidqvam derogare. † Ejusdem est farinæ pactio 33.
sive lex Electorum, ne in posterum unqvam Imperator designetur ex domo Austriacâ, qvam Hipp. à Lapid. *ex scriptô Irenæi Hollandi* adducit, cùm, qvâ ratione ita invicem convenerint, eâdem qvoq; mutuô dissensu à conclusô istô vicissim recedere potuerunt, † licèt pactum illud nondum vidimus aut legimus, nec 34.
etiam ipsemet Hippol. à Lapid. fidem tribuens plenissimam Autori cuidam, sibi nomine fictô simili ac personato.

DOGMA IX.

Bellum haud persvaderi patiatur sibi Imperator injustum, pro recuperatione provinciarum ab Imperio divulsarum susceptum.

QVod votô suô monuit † Elector Moguntinus in Cæsare eligendô, inter alia potentiæ qvoq; rationem esse habendam, qvô bellum Turcis feliciter inferri, & amissa recuperari valeant, id postmodum à toto Electorali Collegio non modò probatum, † sed etiam ad qvosvis alios bonorum ab Imperio divulsorum possessores extensum est, Lege universali Carolo V. præscriptâ, ut qvæ fuerint ab aliis nationibus occupata, vel ab Imperio divulsa, bona recuperet, apud Sleidan. *lib. 1. histor. pag. 29.* qvæ & subseqventium Impp. Capitulationem intravit. † Nec ullam vel iniqvitatis vel periculi notam hîc subesse qvisqvam existimaverit. Etsi enim rejectum nolumus consilium Maximiliani I. Imperatoris, haud suscipiendum esse bellum pro acqvisitione Regionis & Principatuum, † cùm ut Totilas Rex Gothorum dicere consueverat, in acqvirendo ignavia possidentis sæpè plus conferat, qvàm virtus militaris, Cam. *cent. 1. oper. subcis. cap. 2.* attamen nec consiliô hoc † bellum pro recuperandis provinciis ab Imperio injustè divulsis susceptum, comprehensum volumus, qvippe qvod nunqvam non censetur defensivum

Margin numbers (right): 1. (line "QVod votô…"), 2. (line "legio non modò…"), 3. (line "intravit…"), 4. (line "pro acqvisitione…"), 5. (line "subcis…")

vum ac legitimum, *can. Dominus noster 23. quæst. 3.* Henr. Bocer. *de bello & duello. lib. 1. cap. 6. n. 10.* Herm. Lather. *de cens. lib. 1. cap. 16.*
6. cujus etiam admonentur † Impp. nomine Augusti, ab augendo sic vocati non errore Consiliariorum aulicorum & priscorum juris Glossatorum, ut vult Goldast. *in rational, tom. 1. Const. Imper.*
7. *pag. 65.* † nec falsò, qvod flagitiosè tentat Hippol. à Lapide, qvi ut omnem, ita etiam honorem hunc Sancto Domini invidet, ab an-
8. gustando titulum Augusti derivans, *de rat. stat part. 3. cap. 2.* † Qvomodo verò augere dicerentur Impp. Imperium, si provincias ab aliis injustè occupatas haberent pro derelictis? Nec ullum vel metum vel monitum sibi insusurrari patiantur, fore nimirum, ut infinitis implicetur Imperium tumultibus bellicis, nec ruinâ to-
9. tius Germaniæ defuturam ex recuperatione † universi orbis, cujus Domini antea fuerint appellati, talesq; ipsimet se gloriabundi appellârint, *l. 9. ff. ad leg. Rhod. de jactu. l. 3. C. de qvadr. præscript.*
10. *l. 1. in pr. C. de qvadr. præscript. Novell. 105. cap. 2. §. ult.* † nec etiam aliam ob causam olim Justiniani Imp. statuam in palatio Constantinopolitano, sphæram sive orbem cum cruce infixâ gestantem, vulgò erectam putant, qvàm ut significaretur, auspiciis divinis ipsum esse Dominum mundi, Petr. Gregor. Tholosan. *de Republ. lib. 6 cap.*
11. *13. n. 14.* † in qvo nec Fridericus I. Imperator sibi temperare potuit, qvin urbis & orbis gubernacula sibi concessa, patruo Ottoni scriptis intimaverit, Otto Frisingens. *in vitâ Frid. lib. 2. cap. 30.*
12. † nec aliâ fuerunt mente Impp. Ludovicus IV. & Fridericus Pulcher, in hæc prorumpentes verba: Daß Wir das Römische Reich über alle die Welt mit einander gleich als eine Person besitzen sollen und wollen/ apud Goldast. in Reichsatzungen / *pag. 143.*
13. † ut hinc Bartolus jure hæreseos arguisse sibi videatur eos, qvi universum totius orbis dominium Impp. demtum voluerint, *in l.*
14. *hostes ff. de captiv. & postl. reverf.* † sed ridiculè & falsè, si qvid Charles Loyseau, autor gallicus de hoc asserto senserit, auribus haud omninò surdis excipiamus; Qvid verò ille? *C'est une fausse opinion de nostre vulgaire, de penser, que tous les Roys Chrestiens doivent recognoistre l'empire, qvoy qve la plus part des Docteurs estrangers l'ayent escrit. in*
15. *tract. de seigneuries. chap. 2. p. 40. n. 74.* † Cum qvo planè convenit Ludovicus Vives, stultum esse, inqviens, affirmare, Imperatorem Romanum jus habere in totum orbē terrarum, cujus nunqvam fuit Domi-

Dominus, *in not. ad August. de civit. Dei cap. 5. tom. 5 pag. 318.* † Etsi 16.
enim vix alia fuit anteà Respublica, cujus Jmperium amplioribus erat conscriptum finibus, qvàm Romanorum; innumeras tamen fuisse gentes, constat, potissimùm ultra Euphratem, Romano Jmperio nunqvam subditas, sed multas Romanis æqvali jure fœderatas, multas iisdem formidabiles, cum qvibus pacem fecisse gavisi fuerint, vel inimicitias sine victoriâ aluerint, Tob. Paurmeist. *de jurisdict. Imp. Roman. lib 2. cap. 1. n. 21* † Nec ipsimet omnes vel Jmpp. vel JCti veteres Romani tàm injusti unqvam finium dividendorum arbitri extiterunt, ut omnia sibi attribuerint; 17.
† Sanè, Justinianus Jmperator eum postliminiò dicit reversum, 18.
qvi cùm ab hostibus captus esset, posteà ad fines Jmperii revertitur, hanc subnectens rationem, qvia veteres Jmperii finem esse limen voluerint, *in §. si ab hostibus, Inst. qvibus mod. jus. patr. potest.* ineptè omninò, si totius Orbis se Dominum credidisset; † Apertiùs verò hoc innuit Paulus JCtus, populos qvosdam liberos fassus, qvi nullius alterius populi imperio essent subjecti, *in l. postliminium. in pr. ff. de capt. & postl. reversf.* † ex qvô etiam sæpiùs sanctiones Legislatorum subjectis tantummodò ac Civibus Romani Jmperii injunguntur, reliqvis exclusis, *§. sed hoc tempore. Inst. de his qvi sui vel alieni jur. l. in omnibus. ff. ad SCtum Trebell. l. 1. C. de summ. Trinit.* † An ergò pomposè duntaxat, ac nimis superbè Jmpp. de totius orbis regimine gloriatos putemus? Ita qvidem autumat Joh. Bodin. *lib. 1. de Republ. cap. 9. n. 129.* Sed qvid opus hôc subterfugiô, † si verum voculæ orbis intellectum haud dissimulemus, qvam si de Orbe saltem Romanô acceptam dixerimus, res expedita erit, nec absonus fuit qvondam hic sensus verborum, 19. 20. 21. 22.
† prout liqvet *ex l. in orbe. ff. de stat. hom. Novell. 69. cap. 1.* & ita etiam exaudiendum illud Evangelistæ: Exiit edictum, ut universus censeretur mundus, *Luc. 2.* Hugo Grotius *lib. 2. de jur. belli cap. 22. n. 13.* Nec absurdus erit, qvi orbem totum † de majori mundi totius parte, qvam olim Romani possidebant, synechdochicè intellectum velit, *Novell. 24. in pr.* ibi: *totum orbem terrarum penè.* Besold. *de jurisd. Imper. Roman. qvæst. 6.* qvo sensu salvabuntur verba Cyri, qvibus omnia Regna sibi à Deô concessa, superbit, *Esdr. 1.* Ambiguum † adhuc nihilominùs videtur hoc, si Legem de re- 23. 24. 25.

Pp. cupe-

cuperandis provinciis ab Jmperiô divulsis Jmperatori præscriptam, ita limitatam observemus ne qvid fraudi sit illis, qvi vel
26. privilegiô vel jure nituntur, Sleidan. *dict. loc. pag. 29.* † Vix autem qvisqvam de restituendis Imperii bonis poterit interpellari, qvi haud privilegium vel jus aliqvod prætendere qveat, qvô minùs cedere cogatur, ac si non aliud, jus tamen & titulum ex præ-
27. scriptione immemoriali obtentum, † in qvô potissimùm suam collocat fiduciam Robertus Bellarminus, possessionem bonorum Imperii in Pontificem translatorum propugnans, *lib. 5. de summo*
28. *Pontif. cap. 9. in fin.* † Sed parùm firmitatis habet exceptio hæc contra Imp. bona distracta recuperantem, qvippe qvam defectus bonæ fidei penitùs enervat; nec enim præscriptio, qvantumvis immemorialis, malæ fidei possessorem juvare potest, Balb. *de præscriptione. p. 2. part. 3. princip. qvæst. 6. n. 20.* Cravett. *de antiq. temp. part. 4.*
29. *§. materia. n. 19* † Qvis verò malam fidem ab iis purgatam dixerit, contra qvos tot protestationes factæ, tot edicta & rescripta emissa? Estqve in jure peritis notissimum, ex Lege Atiliâ rerum furtivarum usucapionem haud admitti, nec rerum vi possessarum
30. † ex Lege Juliâ & Plautiâ, *§. furtivæ qvoq; 2. Inst. de usucap.*

DOGMA X.

Usus est jure suo Rex Bohemiæ in electione Caroli V. Imp. cui etiam suffragium dedit, aliter licèt senserit Franciscus Guicciardinus.

1. FRanciscus Guicciardinus in descriptione electionis, qvâ Carolum V. ad fasces Imperii germanici evectum refert, inter alia hæc scripta reliqvit verba: *Neqve dubium est, qvin si ob suffragiorum æqvalitatem res ad Septimi judicium devenisset, idem eventurum fuisset, qvoniam Ludovicus Bohemiæ, qvi idem & Ungariæ Rex erat, Carolo suffragium suum promiserat, lib. 13.*
2. *histor. pag. mihi 291.* † Duo nimirum hisce notanda ac posteritati memoranda duxit: Votum suum Regem Bohemiæ haud dixisse; nec facere id potuisse propter suffragiorum inæqvalitatem.

Veri-

Veritate † num historia hæc constet, vix non ambiguus erit, 3.
qvi *eodem in loco eademqve pag.* à Guicciardino falsè scriptum observaverit: Carolum Austriacum Hispaniæ Regem qvatuor tantummodò Septemvirûm, Moguntini nempe & Coloniensis Archiepiscoporum, Comitis Palatini & Saxoniæ Ducis suffragiis Imperatorem fuisse renunciatum, † Trevirensem verò Archiepi- 4.
scopum Brandenburgensi Marchioni suffragium dedisse, qvem & ipsum hoc de se tulisse. Aliter enim à Joh. Sleidano *lib. 1. histor. &* Georg. Sabin. *de elect. Caroli V. Imp.* hæc legimus consignata: † Ita 5.
namqve ille, cùm Saxoniæ Ducem Moguntini votum probâsse, ac pro Carolo locutum referr, hæc subnectit: *Hanc demum sententiam ubi reliqvi comparâssent,* qvibus præter Trevericum, cujus votum pro Francisco Galliarum Rege antea exposuerat, neminem Septemvirûm excludit. Verbis autem clarioribus † idem refert Ge- 6.
org. Sabin. *Addidit*, inqviens, *Fridericus Saxoniæ Dux, se non dubitare, qvin omnibus anteferendus sit Carolus Archidux Austriæ.* & statim: *Eadem sententia dicta est à cæteris Electoribus*; ac rursus: *Trevir cum videret omnium animos ad Carolum inclinare.* † Nec parùm Mo- 7.
guntini, Carolum Austriacum totius Collegii Electoralis nomine Imperatorem publicè renunciantis, verba relationem hanc firmant, † summâ videlicet concordiâ & consentientibus Septemvi- 8.
ris electionem fuisse peractam, apud Goldast. *in polit. imper. part. 1. p. 133.* Nec verbulum de votô Treririci in Marchionem Brandeburgensem directo, hujusq; approbatione in historiâ Sleidani & Georgii Sabini reperire licet. Videmus hinc, † qvomodo Historici 9.
ab invicem dissentiant, qvàm dubia etiam & ambigua reddatur inde eorum relatio, ut qvibus fides plena sit tribuenda, absqve titubatione non facilè qvis decidere præsumserit, † nisi plu- 10.
ralitate testium historiam Sleidani & Sabini, hôc in passu à totô Collegiô Electorali firmatam, propugnare compellatur; & sanè absonum foret, Germanorum fide relictâ attestato Guicciardini, qvi Italus fuit & patricius Florentinus, adeoqve rerum germanicarum non adeò gnarus, adhęrere, † si præsertim in gratiam Gal- 11.
lorum ac Regis Francisci, cujus partes ab ipso defensas historia sua prodit, hæc scripsisset, exemplum secutus Jovii, † qvi rogatus, 12.
cur simularet falsa, vera dissimularet, respondit: amicorum gratiâ

id à se factum, Estienne Pasqvier *liv.1.des recherches de la France.*
13. *chap.2.p.7.* Bodin. *in meth. histor. cap. 4.* † Ex qvô non minùs suspectum redditur, qvod de suffragiô Regis Bohemiæ propter inæqvalitatem votorum haud reqvisitô Guicciardin.refert. Nec enim numerô ac consortiô Electorum, qvi conjunctim præter Trevirícum pro Carolô Austriacô steterunt, ac vota dixerunt, Bohemiæ Rex eliminari potest; Intendit scilicet Guicciardinus
14. † errorem defensare vulgarem, qvem haud pauci errant, Regem Bohemiæ non nisi cùm Septemvirûm Electorum suffragia æqvaliter divisa inter sese dissenserint, ad electionem Regis Romanorum admittentes, Natal. Comes *lib. 1. histor. 6.* Johann. Dubrav. *lib.6.histor.Bohem.fol.43. & 50.* Onuph. Panvin. *de Comit. imper. cap.*
15. *verior septem.* † persvasi ita à Glossatore Speculi Saxonici *in Landrecht.lib.3.art.57.* cujus autoritas tamen tanta non est, ut ab expressô hinc Aureæ Bullæ sancitô recedere liceat, qvô Regi Bohemiæ in ordine Electorum tertium, & inter Laicos primum assi-
16. gnatum novimus votum, *tit.4.§.3.& tit.7.§.1.Aur. Bull.* † qvin & praxis Imperii errorem illum detegit, si qvid in electione subseqventium Impp. Ferdinandi I. Maximiliani II. Matthiæ, Ferdinandi II. & Ferdinandi III. sceptra jam feliciter tenentis, observa-
17. tum, † ex Protocollis informari nos patiamur, apud Goldast. *part.1. polit. german. cap.5. tit. 24. & 31.* & de Regno Bohemiæ *lib. 3. cap.6. n. 21.* Simon. Schard. *in narrat. de de electione Maximiliani II. Imperatoris* Gothard. Arthum. *in act. elect. & coronat. Matthiæ Impp. de anno 1612.* † Intolerabilior verò est error eorum, qvi Regi Bo-
18. hemiæ omne suffragium cupiunt ademptum, nec pro Electore ipsum agnoscunt, æqvè falsi à Speculô Saxonicô *dict. art. 57.* cui rursùs opponimus sanctionem *Aur. Bull. in tit. 4. §. 3. tit. 7. §. 1. & præfat. dict. Bullæ. §.* demnach. *ibi:* zwischen der Churfürsten/ in welcher Zahl wir als ein König in Boheim erkandt werden. † Non
19. verò qvisqvam erit, qvi Legem imperii Carolinam publicam, aliorum etiam Impp. Friderici II. Rudolphi I. & Ruperti Palatini Constitutionibus suffultam, Protocollis electionum factarum munitam, nec non rationibus ac Legibus à politicis corroboratam, falso Speculi Saxonici Compilatorum

asserto,

asserto, præferendam non existimaverit. Marqvard. Freher. *de origin. Palatin. part. 1. cap. 15. & notis ad Petr. de Andlo. lib. 2. cap. 2.* Æneas
Sylv. *in descript. german. cap. 59. & 65.* † Sed cum in dogma- 20.
tis hujus demonstratione singularem jam anteà præstiterit operam Melch. Goldast. *in tractatu peculiari, qvem vocat consultationem de officiô Electoris Bohemiæ qvæst. 1. & in Bohem. lib. 3. cap. 5. & 6.*
ac nosmet ipsi de hôc alibi scripserimus, verbulum addere frustrà
foret; † Concedentes interim, Regi Bohemiæ suffragium 21.
haud competere in Comitiis Imperii, qvæ non sunt Electoralia, sed universalia, allgemeine Reichs-Tage / in qvibus non novi
Regis Romanorum electio, sed causæ & negotia Imperii tractantur, † unde nec jus sessionis ei Principes reliqvi tributum vo- 22.
lunt, qvod licèt Goldastus ægrè ferat, pro sessione & suffragiô
Regis Bohemiæ multum contendens; † notorietate tamen 23.
& observantiâ convincitur, qvâ de fidem faciunt Autor des Berichts / wie es auf Reichstägen pfleget gehalten zu werden. Nat.
Comes *lib. 16. histor.* Lehman *lib. 7. chron. Spirens cap. 124. num. 6.*
Marqvard. Freher. *in not. ad Petr. de Andlo lib. 2. cap. 2.* & vel exActis imperii satis liqvescit, Regem Bohemiæ † Comitiis ho- 24.
diè non interesse, qvin nec ab annis propemodùm ducentis interfuisse, ac ullis Recessibus Imperialibus subscripsisse, qvod nec
ipsemet diffitetur Goldast. *lib. 4. Bohem. cap. 6.* † ex qvô, qvàm 25.
verè scripserit Domin. Arum. Regem Bohemiæ inter Status Imperii propriè sic dictos haud connumerari, *de comit. Imper. cap. 4. n. 45. & seqq.* ultrò perspicuum: † non etenim convenit ad- 26.
ministrationi & exercitio jurisdictionis in Imperiô, Statum aliqvem esse, & tamen sessionem in Comitiis non habere, *Recess. imper. de anno 1570. & de anno 1576.* Tob. Pauermeist. *de jurisd. imper. Roman. lib. 1. cap. 8. n. 3.* † Qvantumvis ergò Regem Bohemiæ 27.
dixerimus Principem & Electorem, Imperii tamen Status non
est, nisi voculam hanc, in latiori significatu acceperimus,
qvô omnes imperio subjecti Principes continentur,
Arum. *dict. cap. 4. n. 74.*

CO-

COROLLARIA.

I.

Haud parùm impingunt judices in Nemesin Karulinam, ob furtum qvinq; solidorum vel Ducatorum pœnam suspendii Reo infligentes.

II.

Collecta imponi neqveunt possessoribus, qvorum bona & facultates tantò ære alienò sunt gravata, ut nihil commodi vel fructuum ultra usuras eis restet.

III.

Beneficio competentiæ, ne per executionem debitori alimenta auferantur, gaudent etiam homines in præclarâ nobilitate constituti: qvin & Doctores, Magistri ac Professores in Academiis.

IV.

Renunciatio beneficii excussionis vel divisionis in debitis feudalibus non nocet successoribus Feudi, gravat verò heredes allodiales.

V.

Concessâ simpliciter & absolutè Venatione, majorum qvantumvis ac nobilium ferarum, haud tamen concessum videtur exercitium, qvod fit sclopetis & bombardis, mit pürschen und schiessen.

SOLI DEO GLORIA.